



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

Proœmium, De Natura Theologiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)



PROOEMIUM,

De natura Theologiæ.

Quid nominis Theologia.



R. T. 1. Theologia, à Theos Deus, & logos sermo, sermonem de Deo, seu rationem, notitiam, considerationem significat, vt habetur ex August. lib. 8. de Ciu. cap. 1. Notitia, & consideratio, alia est purè natura-

lis, & acquisita, alia purè supernaturalis, & infusa; alia ex vtraque isti coalescens, ac progrediens cum quadam alterius in alteram veluti initione, atque ambarum simul cooperantium parturitione. Omnis de Deo notitia purè naturalis attingit Deum mediantibus creaturis; ita vt res creatæ sint obiectum formale motuum ipsius, Deus verò materiale potius, ac terminatum, iuxta illud Apostoli ad Roman. 1. *Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Quod cum aliis similibus videri potest infra lib. 1. quest. 2. artic. 2. Quilibet autem cognitio, & cognitionum collectio, atque habitus cognoscendi sortitur nomen, sicut & speciem ab obiecto potissimum, motui formali. Unde Theologia purè naturalis sub nomine, & conceptu Metaphysicæ communiter comprehenditur, æquè Theologia tantum secundum quid. Et lane si conferatur cum Theologia supernaturali, ac infusa, vel quoad amplitudinem veritatum, quas hæc assequitur, vel quoad gradum certitudinis, qua illis eadem assentitur, & coheret, facile apparebit, Theologiam naturalem perinde ferè Theologiam dici, atque homo pictus dicitur homo, si tamen & tantundem permittunt testimonia Sacra exhibita libro sexto de Virtutibus Theologicis, quæstione 24. initio, & quæstione 26. versus finem, quæ comparant fidem cum omni circa Deum naturali notitia, tanquam cum tenebris lucem, atque admirabile lumen. Verum neque hæc ipsa purè supernaturalis, ac infusa notitia Dei Theologiæ nomine censetur communiter, & iuxta vsum iam familiarem, ac vniuersalem, tum quia iam olim nacta est specialem fidei simpliciter, seu fidei theologiæ vocem, qua propriissime significatur, & ab omnibus aliis cognitionum, scientiarumque speciebus secernitur; tum fortè quia huiusmodi notitia, prout reperitur in nobis, magis est sermo Dei, quam de Deo, & præterea extenditur ad res alias quamplurimas, idque sine relatione immediata

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

notitiæ illarum ad notitiam Dei, vt patet legentibus scripturas. Superest tertium notitiæ de Deo mixtæ, seu quasi mixtæ genus, cui à multo iam tempore nomen Theologiæ iure optimo adhæsit absolute, vt potè complectenti sublimitatem doctrinæ reuelatæ simul cum claritate rationis naturalis circa Deum.

Diuisio Theologiæ.

A. R. 2. Hæc posito Theologia in duas rursus differentias diuiditur. Quarum altera scholastica dicitur, & methodica, quatenus prima medijs, media postremis continuata vbique conclusionum, & demonstrationum, omniumque argumentorum serie connectit, quod spectat ad methodum; atque in scholis præcipuè traditur, ac discitur, nec nisi difficillimè disci perfectè potest absque assidua publici Magistri verbo, & scriptæ directione, ac eruditione, & absque plurima discentium collatione, concertationeque mutua, vt amat fieri in scholis: Altera differentia dicitur positua, atque etiam expositua, quæ incumbit explicandæ scripturæ sacre, & eruendo legitimo eiudem vbique sensui, maximè vero literali, atque eam in rem vtitur quampluribus hinc inde adminiculis ex sacra, profanaque eruditione, & diligenti variarum versionum circumspectione, super omnia autem Sanctorum Patrum auctoritate, atque ob huius præcipuè auctoritatis vsum positua dici creditur, quasi ponens, ac iaciens principia certa, ac firma fundamenta veræ, ac solidæ sapientiæ, facturæ inde multiplicem vltius salutarem progressum. Ex his duabus differentiis prior illa communiter dicitur Theologia simpliciter, & absque addito; quique eidem præcipua curâ incumbunt, Theologi absolute nuncupantur, & Professores Theologiæ; cum posterior differentia vix vnquam Theologia absque addito illo, *positua*, effertur, eiusque cultores non Theologi, sed professores, atque interpretes sacrarum litterarum nuncupentur. Quia videlicet hi Doctores magis considerant sermonem Dei, quàm Dei, quàm quæ de Deo est, nec eam methodi rationem observant, vi cuius cognitio omnium aliorum, de quibus agunt, ad cognitionem Dei intrinsecè referatur, atque deserviat; opposita verò quoad vtrumque ratio est

apud

Prooemium.

apud Theologos scholasticos, quorum proinde sermo totus ubique de Deo est formaliter, vel immediate, vel saltem mediate, ex intrinseco suo conceptu. Dicendum iam mihi est de natura Theologiae scholasticae, atque adeo Theologiae simpliciter. Cui nimirum praeloquor postquam eidem totam ferè ætatem impendi usque ad praesentem sexagesimum annum meum, partim discendo, partim per viginti quatuor annos, ultra triennalem de more philosophiam docendo in scholis, exacta eorum medietate altera Vallisoleti, Salmanticae in Hispania, & altera deinde in nostro isto Collegio Romano, inque eodem Collegio liber iam à schola antè quinquennium pergo eidem studio priuatim adlaborare, ut plures lanbere, ac relambere priores partus improbo labore potuerim, ac debuerim, uti & opere ipso praestiti diligenter, atque hoc inter alia potissimum, ut quae fuscè scripseram prius, in pauca deinde contraherem, resectis, tum longioribus auctorum catalogis, ubi ad pompam facerent, ad rem non facerent: tum contentiosis aduersus singulos minutè relatos insectationibus, ubi una explosione percelli coniunctim, ac deici aequè benè, utilius quinetiam plures possent, & praeterea factò scrupulosè & auctoritatum, & rationum, quae permouendi, necnon verborum, totiusque sermonis, quae efficaciter, ac distictè significandi vim maiorem viderentur habere. Talis profectò conatus noster fuit; An verò talis propterea Theologia nostra eualerit aliqua saltem ex parte minima, qualis ex primaria sua institutione, exque obiecti sui dignitate esse debet, & qualis intenta ab iis fuit, & quorum mandatis obsequi, & quorum votis satisfacere, & quorum in Domino profectui providere conati sumus, arbitrium esto lectorum, iuxta normam veræ Theologiae, quam iam subiicimus.

Definitio Theologiae.

ART. 3. Itaque Theologia est disciplina diuinitus tradita, cooperante ratione naturali, plenam ac certam de Deo, rebusque diuinis notitiam methodicè deducens, vel dicatur: Est certissima doctrina de Deo promouens principia fidei scientifico rationis naturalis processu ad utilitatem fidelium, & infidelium confusionem. Ponitur disciplina, seu doctrina, loco generis remoti, & praescinditur ab expressione seu scientiae, seu sapientiae, alteriusve habitus intellectualis nacti speciale nomen apud Philosophos, quia non conuenit inter auctores sub qua eiusmodi differentia contineatur Theologia, ut paulò post obseruabitur. Quod adiungitur, diuinitus tradita, est commune Theologiae cum fide theologica, & fecernit Theologiam à scientiis omnibus purè naturalibus, atque insuper ostendit Theologiam non esse facultatem subalternam, seu ita subordinatam fidei, ut praesupponat principia eius, eisdemque, tanquam praecognitis, ac stabilitis antecedenter, utatur praecise ad inferendas speciales suas consequentias: sed includi in Theologia habitum, & actus fidei tanquam partem intrinsecam, & essentialem ipsius, iuxta vnanimem & sensum, & praxim Theologorum. Quinimò est praecipua pars, & veluti anima Theologiae, ad eum ferè modum sibi subordinans rationem naturalem, quo anima sibi subordinat corpus. Nec enim Theologus admittit vllum, aut principium, aut conclusionem rationis naturalis, nec vllum scientiarum naturalium, aut humanarum alicuius facultatis documentum ad se trahit, nisi praecise quatenus congruit, nulla certè

ex parte repugnat fidei. Hic de causa doctrina diuinitus tradita, id est notitia pertinet ad fidem diuinam, posita à nobis est in recto, atque adiuncta in obliquo cooperatio rationis naturalis, veluti praedicatum secundarium Theologiae.

Artic. 4. Eadem ratione factum esse crediderim, ut D. Thom. quaest. ist. 1. artic. 1. cum inquirat, *Utrum sit necessarium, praeter philosophicas disciplinas, aliam doctrinam haberi?* Eundemque articulum absoluat his verbis: *Vnde Theologia, quae ad sacram doctrinam pertinet, differt secundum genus ab illa Theologia, quae pars philosophiae ponitur;* eo nihilominus solo argumento vti sit ad probandam necessitatem sacrae doctrinae, atque adeo huius nostrae Theologiae, quo nos libr. 6. de Virtutib. Theolog. quaestione 2. & 28. ostendimus cum eodem D. Thoma, aliique communiter necessitatem fidei secundum se. Quia videlicet habere voluit rationem directè solius partis principalis, & perinde loqui, atque, si ipsa sola esset totum, ad eum utique modum, quo Plato, & Platonici loquuntur de anima rationali, ac si ipsa sola esset totus homo. Adiditur nihilominus in definitione nostra, *cooperante ratione naturali*, seu, *scientifico rationis naturalis processu*, ad fecernendam Theologiam adaequatè sumptam à fide secundum se. Quia ratio naturalis, eiusque processus non cooperantur fidei quoad actus ipsius, quatenus sunt assensus, vel dissensus, seu actus credendi, sed solum quoad apprehensiones terminorum, & quoad praeniam notitiam credibilitatis; cum ad assensum veritatum theologicarum, & ad dissensum oppositarum falsitatum cooperetur eidem fidei, & immediate, & quatenus assensus, & dissensus sunt. Cooperatur autem dupliciter. Primò per cognitiones reflexas, applicando principia Logica ad arguendum, tum ex duabus praemissis de fide, tum ex altera de fide, & altera naturali, ut sic eruantur vteriores veritates de Deo, & ex iis rursus vteriores aliae, iuxta dicta libr. 6. de Virtutib. Theolog. quaestione 29. Secundò cooperatur per cognitiones etiam directas, adiungendo principiis fidei scientiarum naturalium principia, omnique naturalis eruditionis adminicula varia, uti paulò post exponetur distinctius. Quia verò hac eadem praestat Theologia quoque positum, pro discrimine Theologiae nostrae scholasticae ab illa additur praeterea, in deductione quidem ratio methodi, seu *scientifici processus*: in notitia verò, *plenitudo cum certitudine*, seu sufficientia, ad utilitatem fidelium, & infidelium confusionem. Theologia enim scholastica agit de omnibus pertinentibus ad Deum cum continua, semperque concatenata serie deductionis, ita ut posteriora à prioribus ubique dependant: atque in hunc modum complectitur, quae requiruntur, & sufficiant ad utilitatem fidelium, & infidelium confusionem. Quia verò hac utilitas, & hac confusio obtineri non possunt nisi per notitiam diuinorum, quae & sit plena quoad extensionem, & certa quoad modum, ac motuum assentiendi; propterea in definitionibus datis conuertibiliter ponuntur in altera plenitudo ea, & certitudo notitiae diuinorum, in altera utilitas fidelium, & infidelium confusio.

Hac eadem efferrì paulò aliter possunt phrasì Augustiniana, conferente & verborum efficacia, ac maiestate, & auctoris granditate ad digniorem de Theologia conceptum efformandum, altiusque animo imprimendum. Dicit itaque potest ex lib. 14. de Trinitat. capit. primo, paulò ante finem; Theologia est scientia, quae fides saluberrima, quae ad veram

Prooemium.

ram beatitudinem ducit, gignitur, mittitur, defenditur, roboratur. Ex quibus generatio, & nutritio ad fidelium utilitatem, defensio, & robur ad infidelium confusionem specialiter pertinent, ut apparet his, quae idem S. Doctor immediate subiungit: *Qua scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, qua non nisi aeterna est: aliud autem scire quemadmodum hoc ipsum & piis optulerit, & contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam videatur Apostolus.* Appellata autem à posteris est Theologia potius, ut dictum est, durante adhuc controuersia de ratione scientiae illi attribuenda.

An Theologia sit scientia?

ARTIC. 5. Quae tamen controuersia de voce magis esse censetur, quam de re. Certum namque est Theologiam dici scientiam minime posse, si scientia accipiat strictè pro notitia euidenter illata ex praemissis, siue notis euidenter ipsi inferenti, ut fit in Arithmetica, & Geometria; quarum neutra est subalternata, seu subordinata alteri scientiae: siue creditis quidem ab eodem inferenti, sed cognoscanti euidenter illas demonstrari in alia scientia superiori, uti fit in Perspectiua subalternata Geometriae, & in Musica subalternata Arithmeticae. Certum, inquam, est Theologiam neutro ex his modo esse scientiam strictè. Quia licet Theologia inferat euidenter, sicut aliae scientiae, infert tamen ex praemissis, seu principiis vel ambobus de fide, vel saltem altero: atque adeo creditis tantum, & non euidenter cognitis ab inferente, imo quin hic idem inferens cognoscat euidenter ea principia esse scita à Deo, & beatis, quorum notitia est subordinata, seu subalternata notitia credentis fide diuina. Credimus enim Deo cum sola euidentia credibilitatis, & obligationis credendi, quin cognoscamus euidenter esse à Deo reuelata, quae credimus, ac proinde quin cognoscamus euidenter illa esse vera, aut scita à Deo & beatis, ut apparet ex dictis lib. 6. de Virt. Theol. quaest. 24. Ceterum si scientia accipiat pro cognitione veritatis euidenter illata ex praemissis certis, ac indubitatis, tamen non euidentibus, manifestum est Theologiam dici debere scientiam potiori etiam ratione, ac iure, quam quae tales maxime dicuntur, ut Metaphysica, & Geometria. Quia certitudo fidei, & consequenter certitudo, quae ex ipsa refunditur in conclusiones theologicas, est longè maior, quam certitudo naturalis cuiusvis cognitionis euidentis, ut liquet ex eodem libro 6. quaest. 22. & suffragatur S. Chasost. homil. 21. in Epist. ad Hebraeos circa illud; *argumentum non apparentium*, ubi sic habet: *O quam mirabili usus est verbo, dicens: Argumentum eorum, quae non videntur. Argumentum quippe est in rebus admodum manifestis. Fides igitur Visus est, inquit, non apparentium, & ad eandem certitudinem ducit, ad quam etiam quae videntur. Proinde neque circa ea, quae videntur, credulitas, vel incredulitas dici potest. Neque iterum fides dici potest, nisi cum circa ea, quae non videntur, certitudinem quis habuerit manifestam.*

Art. 6. Quapropter Theologia absolute dicitur scientia ad eum modum, quo Perspectiua, Musica, alique habitus intellectuales subalternati dicuntur scientiae, ut tradidit D. Thom. & alij plerique.

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

que in praesenti; tum quia in scientiis naturalibus, quae scientiae sunt, maior habetur ratio certitudinis quae praeminet in Theologia, quaeque est propria intellectus iudicantis, quam claritatis, quae minus affulget Theologiae, quaeque est communis sensui, & intellectui simpliciter apprehendenti, tum maxime quia ita censet, ac loquitur Augustinus in verbis paulò prius relatis, idque perhibet, videri de mente Apostoli: tum etiam quia argumenta Christianae fidei expensa in praedicto libro 6. quaest. 18. aliaque in illa quamplurima, dum pariunt euidentiam prorsus manifestam circa credibilitatem diuinarum reuelationum, & mysteriorum, usque adeo proximè accedunt ad veram, & strictè talem euidentiam quoad existentiam earundem reuelationum, & quod Deus sit ipsarum auctor, ut nonnulli auctores non dubitauerint asserere, adesse omni credenti veram eiusmodi euidentiam. Quapropter iure optimo D. Thom. accenset scientis subalternatis Theologiam nostram comparatam cum scientia Dei, & beatorum circa eadem veritates, quatenus Theologus accipit tanquam principia suorum discursuum, & illationum veritates euidenter cognitae à Deo, & beatis, ut cognitae, & reuelatae à solo Deo, quae est subalternatio formalis respectu scientiae Dei, & materialis respectu scientiae beatorum. Accedit, quod specialiter tradit Henricus in summa artic. 6. quaestione 1. & Quodlibet. 12. quaestione 2. Theologum multiplici speciali consideratione, & comparatione argumentorum Christianae fidei, maxime verò superaddita reflexione circa perfectionem diuinæ prouidentiae, cui repugnat, ut seu intenderet, seu permetteret falsitati tantam, ac talem apparentiam veritatis, quanta, & qualis affulget reuelationibus, quas Ecclesia Catholica amplectitur ut diuinas, peruenire posse, atque de facto peruenire plerumque bonos Theologos ad euidentiam propriè, & strictè talem existentiae praedictarum reuelationum, Auctore Deo, atque eo ipso peruenire etiam ad euidentiam veritatis rerum reuelatarum, hoc est ad scientiam earundem strictè talem, qua cognoscitur euidenter, quia sunt, licet non propter quid sunt: cum sit per se notum, quidquid dicit, ac reuelat Deus, esse verum, & esse id, ac tale, quod, & quale esse dicitur, ac reuelatur à Deo, uti expensum à me est non semel in locis praedictis. Existimo equidem neminem unquam, aut vix vllum aliquando credere aliquid fide diuina dependenter ab eiusmodi euidentia diuinæ reuelationis, sed dependenter à sola iam ante praenotata euidentia credibilitatis, & obligationis credendi. Quia videlicet euidentia diuinæ reuelationis obtinetur, à quocumque obtinetur, per multiplicem, ut dixi, discursum, reflexionem, & comparationem, ac proinde subest suspicioni fallaciae alicubi interiectae, utpote obrepentis facili, & frequenter in sinuosis quibusque ac multisidis discursibus. Euidentia autem credibilitatis, & obligationis credendi omnibus potentibus credere adest manifestissima, ac spontè obuia, & quodammodo palpabilis, ideoque tutissima, quae quisque nitatur, atque vi est semper commodius, dum cetera sunt paria, patentissimis vi, ita est consultius in re praesertim tanta tutissimis niti. Concomitantia nihilominus eius euidentiae diuinarum reuelationum, & consequenter reuelabilium ipsorum, seu reuelatorum, exhibet plurimum, & fouet validè animum Theologi, qui illam verè, solidèque assequitur. Hinc

enim

Prooemium.

enim sit, ut perinde is versari possit in rebus theologicis, atque versantur in scientiis naturalibus subalternatis, qui illas dignè profitentur, nempe cum possessione veritatis non modò certa, sed etiam quadantenus dilucida, & clara. Et sanè felicitas est haud exigua pro misero isto mortalitatis, & deplorabilium tenebrarum stata lucem, & claritatem nancisci aliquo vsque scientificam circa altissima fidei nostræ mysteria, & circa divinitatem ipsam, quæ lucem inhabitat inaccessibilem, & ponit tenebras latibulum suum. Si enim illud est verissimum, quod præfatur Philosophus lib. 1. de Partib. animal. cap. 8. tradideratque prius Plato in Critia, plus delectare exiguum notitiam rerum sublimium, quam comprehensionem viliorum; negari profectò, aut in dubium revocari minime potest, quod tamen inexpertis, iisdemque imperitis, aut ineptè, ac superficialiter peritis apparet incredibile, summam quandam delectandi vim inesse veræ, ac solidæ Theologiæ ob prædictam scientificæ claritatis accessionem circa Deum, & divinam.

An Theologia sit sapientia.

ARTIC. 7. Propter hanc ipsam sublimitatem rerum; de quibus agit Theologia, coniunctam cum modo agendi scientifico, attribuitur illi præterea ratio sapientiæ, & præstantia perfectionis, ac dignitatis super omnes alias scientias proprias viatoris, ex sententia Div. Thom. in eadem quæstione 1. artic. 5. & 6. aliorumque communi. Primum enim Theologia est habitus summè certus, ut dictum est, ut potè innitens infallibili divinæ revelationis testimonio; atque hinc ulterius habet vim dirigendi, sibi subordinandi reliquas omnes scientias, ea ubique admittens, quæ congruunt divinis documentis, & quæcumque illis dissonant, reprobans, ac reiiciens, & insuper utens ad eorundem expositionem, & confirmationem, ministerio adminiculari reliquarum omnium scientiarum, iuxta illud huc à Div. Thoma accommodatum ex Proverb. 9. 3. *Misit (sapientia) ancillas suas, ut vocarent ad arcem, & ad moenia civitatis.* Deinde Theologia ob eandem altitudinem sui obiecti scrutatur veritates remotissimas à sensu, atque ideo difficillimas, & abstrusissimas. Vniuersalissima itidem est Theologia ex parte sui obiecti, non ratione formalitatis alicuius communissimæ abstractæ per intellectum præcipientem à particularibus differentiis, sed propter vniuersalitatem motiui, quod est divina revelatio, & rationis formalis, sub qua, quæ est ratio revelabilis, sub quibus conceptibus comprehenditur omne ens, tum etiam propter vniuersalitatem causalitatis, quæ conuenit obiecto attributionis Theologiæ, quod est Deus, primum principium, & vltimus finis rerum omnium, cuius proinde legitima cognitio refundit in res cæteras puram lucem quidditatis. Ex his denique commendationis, & supremæ perfectionis titulis manifestum est, Theologiam esse scientiam appetibilem ratione sui, & dignam, quæ sit, atque colatur propter se, & non propter aliam scientiam, aut operationem. Hæc autem sunt omnia, quæ Philosophus requirit libro primo Metaphysic. capit. 2. ad conceptum supremæ scientiæ, & sapientiæ, non secundum quid, & in determinato tantum aliquo genere, sed simpliciter, & à toto genere talis; & quia inter scientias naturales præeminet Metaphysica quoad ea omnia, huic illè

potissimum, ac simpliciter attribuit rationem, honoremque sapientiæ. Nos verò, quia ex modo indicatis liquiddò constat eadem longè eminentius convenire Theologiæ huic nostræ iupernaturali, ipsam solam, pro hoc statu mortalitatis, dicendam absolute esse sapientiam iure optimo censemus imitati, ratione paulò post insinuanda, à postolum dicentem 1. ad Corinth. 2. 6. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam verò non huius sæculi, neque principum huius sæculi, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram.* Et cap. 12. *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ (circa Deum, & divina) alii autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, nempe circa res creatas relatè ad Deum, ut expendit Augustinus in prædicto lib. 14. de Trinit. cap. 1. necnon lib. 13. c. 1. Et distinct. lib. 12. cap. 14.* Eodem pertinet ea Christi Domini loquutio Lucæ 21. 15. *Ego enim dabo vobis os, & sapientiam (Dei ac divinorum intelligentiam) cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri.*

Artic. 8. Quamquam autem Philosophus, quod dicit sapientiam esse scientiam, quæ gratia sui quaritur, eò expresse, atque ex profuso referat, in tota posteriori parte illius capitis secundi, ut sapientiam in sola speculatione sitam esse constituat, omnemque practicam facultatem excludat à conceptu, & dignitate sapientiæ; nomine tamen cognitionis practicæ non comprehendit omnem promiscuè cognitionem, ut cumque directiuam voluntatis ad actus suos honestè, ac laudabiliter eliciendos, ac ordinandos; sed solum cognitiones directæ, & principaliter ordinatas ex conceptu suo intrinseco ad rectam operum exteriorum exequutionem, & quæ non propter solam honestatem quærentur, sed propter utilitatem, & ad subventionem indigentia bonorum sensibilibus. Id quod ex toto eius contextu clarissimè patet, & ex eo præcipue, quia ad sapientiam maximè pertinere ait cognitionem finis, & optimi, seu summi boni, ad quod omnia referri debeant. *Ea verò scientia, ait, maximè princeps est, ministrantique proponitur, quæ novit cuius causa quidque agendum sit. Hoc autem est cuiusque rei bonum, & omnino quod in omni natura est optimum.* Et rursus: *eam enim (sapientiam) necesse est primarum principiorum, atque causarum esse contemplatricem. Namque & cuius gratia, causarum una est.* Imo sapientiæ hoc præcipuum attributum, ac munus, est, ut erigat animum ad veram pietatem, & dilectionem Dei, atque per hanc ipsam dilectionem ratio sapientiæ vltimò completur, ac perficitur, ut tradit non vno modo Augustinus in locis nuper indicatis. Nempe sapientia dicitur quasi sapida sententia, ut advertit D. Thom. 1. part. quæst. 48. art. 5. ad 2. Sapor autem provenit ex dilectione, cum aliquin scientia sit ex se potius amara, uti pluribus exponitur Eccl. 6. vers. 19. *Quasi is, qui arat, & seminat, accede ad eam, &c.* A dilectione, inquam, non quam præsupponat scientia erga se præcisè, quia cum sit, ut hoc iterum repetam, ex se amara, non terminat ex se præcisè amorem, quo dulcescat, ac sapiat, sed quam inducat erga suum obiectum, quod respectu scientiæ, quæ potest esse sapientia, dictum est, esse Deum, cuius, ut est pura, & summa bonitas, ita est amor suavissimus. Istà scrupulose intellectualis circa Deum coniunctione cum eundem dilectione efficitur, & aliter effici non potest illa fidei veluti transmutatio in scientiam quasi visualem, cuius in se experientiam fatetur Augustinus Nebridio suo Epist. 117. dicens; *Cum Deo in auxilium*

Proœmium.

auxilium deprecato, & in ipsum, & in ea, quæ verissime vera sunt, attolli capero, tanta nunquam rerum maiorem presumptione compleor, ut mirer interdum illa (paulò prius inibi præmissa) mihi opus esse ratiocinatione, ut hæc esse credam, quæ tanto insunt præsentia, quanto sibi quisque sit præsens.

An Theologia sit speculativa?

ART. 9. Ex isto documento apparet pro attribuenda Theologiæ ratione sapientiæ, nil referre, an ea dicatur speculativa, an practica. Qui qui Theologiam, vel maximè dicunt speculativam, minimè negant, eam esse ex sua natura inductivam dilectionis Dei, atque directivam voluntatis ad diligendum Deum. Et quæ fieri potest, ut id negetur? Cum enim Theologia in hoc tota præcipuè versetur, ut perfectionem, quæ inest essentia, attribuatque diuinis, & beneficentiam erga nos diuinam, & naturalem, & supernaturalem, demonstrat solidè, exponat distinctè, & modis omnibus quamclariſsimè manifestet; id est, ut faciem puræ, summæque pulchritudinis quoad omnes suas partes reuelet, & clara illustret luce, eiusdemque veram effigiem, quam diligentissimè efformet, ac exprimat simul cum beneficentiæ inexhaustæ vtilissimis, nobilissimisque effectibus. Cum, inquam, hoc ita habeat, quis sponte non agnoscat Theologiam ex sua natura esse potentissimum diuini amoris ignitum, atque vehemens reliquæ omnis honestatis, quæ ad Deum acceditur, & eidem sapidissimè inhæremus, incitamentum? Sed neque assentes Theologiam esse, vel omnino, vel præcipuè practicam, intendunt cognitiones Theologicas, aut omnes, aut præcipuas, aut maiori ex parte esse ex sua natura directiuas operationum exteriorum, atque ad hunc finem ordinatas aut ex se, aut ex voluntate discantis Theologiam. Quod est perquam manifestum, siue inspicatur ipse processus Theologiæ, siue considerentur fundamenta, & discursus d. c. n. tium, Theologiam esse practicam. Est igitur perquam manifestum, Theologiam à nemine, scilicet speculativam, seu practicam eo sensu dici, quo alterutra ex iis differentiis conceptui veræ, perfectæque sapientiæ obesse quidquam possit.

ART. 10. Eo, inquam, sensu, quia non est eadem apud omnes differentialis significatio speculatiua, & practica scientiæ, estque proinde quæstio magna ex parte de nomine; an Theologia sit speculativa, an practica? dicente D. Thom. artic. 4. & plerisque aliis, esse magis speculativam, quam practicam, seu esse speculativam simpliciter, & absolute, & practicam tantum secundum quid, Alberto verò magno, Scoto, & nonnullis aliis, atque enixius Gregorio Ariminensi assentientibus esse practicam simpliciter, & tantum secundum quid speculativam. Pro legitima circa hoc rei ipsius intelligentia, & accommodatori loquutionis delectu dico breuiter, Obiectum in primis directè, & principaliter consideratum in Theologia, & in ordine ad quod cætera omnia per eam considerantur, & cuius cognitioni augenda, ac perficienda omnes reliquæ cognitiones eius, atque discursus inferuiunt, non est aliquid agibile, aut factibile, sed purè speculabile. Tale enim obiectum Theologiæ est Deus, ut mox accetur, atque Deus à se solo, & ab ipso est, omne operabile. Vnde Theologiæ, quoad hoc, conuenit ratio speculatiuæ magis, quam vlli alij scientiæ.

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

ARTIC. 11. Deinde cognitiones Theologicas sunt ex sua natura inductivæ dilectionis Dei, & proximi, & consequenter actuum etiam pertinentium ad reliquas omnes virtutes. Hæc veritas est manifesta tum ex ponderatione nuper præmissa circa conceptum sapientiæ, tum maximè, quia munus cognitionum Theologicarum est idem cum munere, & virtute actuum, & habitus fidei, quibus reliquæ omnes cognitiones suæ subordinantur à Theologo, uti tanquam certissimum in toto hoc discursu supponitur, & paulò post explicabitur amplius. Fidem autem, atque ad omnem doctrinam reuelatam esse ex sua natura inductivam dilectionis Dei, & proximi, totiusque morum honestatis, constat clarè ex sacris literis, clarissimè verò ex 2. ad Thimoth. 3. 15. *Et quia ab infanzia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu; Omnis scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sis homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Eodem pertinet illud ad Rom. 15. 4. *Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt;* hoc est, ad directionem sanctæ, ac salutis operationis. Quem equidem sensum clarè manifestant verba immediate sequentia: *Ut per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus.* Hinc Augustin. lib. 1. de Doctrina Christiana, cum de dilectione Dei, & proximi pluribus luculenter disseruisset, concludit cap. 35. *Omnium igitur, quæ prædicta sunt, ex quo de rebus tractamus, hæc summa est, ut intelligatur, legis, & omnium diuinarum scripturarum plenitudo, & finis esse dilectio rei, quæ fruendum est, & rei, quæ nobiscum ea re frui potest, nempe Dei, & proximi, & paucis interiectis eodem iterum rediens, veræ, ac legitimæ Theologiæ caracterem exprimit sic: Quisquis igitur scripturas diuinas, vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita ut eo intellectu non adificet istam geminam charitatem Dei, & proximi, nondum intellexit; atque adeo non est bonus Theologus, nec theologizat legitime. Et D. Gregor. hom. 10. super Ezech. ad illud: *Fili hominis vade. Quia ad hoc solum, ait, Deus per totam nobis sacram scripturam loquitur, ut nos ad suam, & proximi amorem trahat.* Hoc est ad perfectum virtutum omnium exercitium tam purè internum, quam etiam externum. Quia verò directionem istiusmodi, atque motionem voluntatis præstat Theologia proponendo, ac explicando summam bonitatem, quæ inest Deo, Deique supereminis donis, ac mysteriis; atque vna quælibet bonitas eò cæteris paribus mouet efficacius voluntatem, atque ad actus, & opera præstantiora, quod maior est; Concluditur cognitionibus theologicis conuenire ex sua natura summam, intra totum genus cognitionum viam, actiuitatem, tum quoad vim attractiuam, ac determinatiuam voluntatis, tum quoad præstantiam operis, ac proinde conuenire iisdem in summo proprietatem eatenus feculatis practicæ. Aptitudinem istam, & pronitatem Theologiæ ad efficacissimam, & nobilissimam praxim agnouit inter alios, & expressit optimè, atque exercuit delectabiliter, & saluberrimè P. Leonardus Lessius in libris præsertim duobus, altero de *Perfectionibus diuinis*, altero *Quinquaginta considerationum*.*

ART. 12. Aduertendum verò postremo loco est, istud munus inducendi voluntatem ad actus, & opera omnis honestatis, præstari à Theologia non præceptinè, sed ostensiuè tantum, nec cum vltima

Proœmium.

timæ determinationi ad hoc, & nunc, sed cum præcognitione vniuersali à tempore, & loco determinatis, atque ab aliis circumstantiis individualibus, atque adeo non immediate, ac seorsim per se præcisè, sed mediata, & superaddita cognitione vltimò determinata ad hoc, & nunc, & præscribente voluntati exercitium sui actus sub eadem individuali determinatione. Nequit enim voluntas honestè, & laudabiliter determinari ad vllum suum actum, quin præeat immediatè iudicium approbatium, atque præceptum illius hic, & nunc, vti pluribus cum Philosopho, & D. Thoma ostensum à me est quæstione 15. de Virtut. Moral. in genere, qui liber nondum est editus. Duplici igitur ex capite cognitiones theologicae non sunt immediatè actiuae, & inductiuae voluntatis ad opus, nempe quia non præcedunt præceptiue in representatione bonitatis sui obiecti, nec cum determinatione ad hoc, & nunc quoad exercitium actus circa illam; iisdemque de causis deest theologicae considerationi specialis illa dulcedo, atque suauitas, quæ inest meditationi, & contemplationi diuinorum immediatè ordinatæ ad dilectionem Dei, & fruitionem, iuxta illud Sancti parentis Ignatij annotation. 2. ad exercitia: *Non abundantia scientia, sed sensus, & gustus rerum interior, desiderium anime explorare solet.* Qui utique sensus, & gustus profluit immediatè, tanquam mel ex fano, ex prædicta cognitione præceptiua, atque individualiter motiua voluntatis. Adde iam cum Valentia quæstione 1. punct. 3. §. 4. vers. *Respondemus*, nullam, aut, vt ille limitat, vix vllam scientiam, seu cognitionem esse vsque adeo speculatiuam, quæ, superaddita sibi cognitione prædicto modo ordinata individualiter ad aliquem actum, non possit cooperari ad elicentiam eiusdem. Quia nulla est alicuius veritatis cognitio vt-cumque speculatiua, quæ non contineat in se iustam eatenus æstimationem rei, cui inest eadem veritas. Iusta autem æstimatio rei, seu secundum se totam, seu secundum aliquod prædicatum ipsius, est iusta similiter mensura affectus honesti circa eandem rem, ac proinde est idonea, quæ cooperetur directioni voluntatis, vt honestè, ac laudabiliter feratur ad illam; quandoquidem, vt rectè monet Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana, cap. 27. *Ille iuste, & sanctè vivit, qui rerum integer æstimator existit.* Cum igitur aliqua nihilominus scientiæ sint reipsa, & dicantur ab omnibus speculatiuæ, vt Mathematica, Physica, & Metaphysica, constat Theologiæ non propterea rationem scientiæ speculatiuæ negari posse, quia maxima actiuitate, & vi promouendi voluntatem prædita est, vti nuper præmissum fuit. Verum neque practicam scientiam esse Theologiam ex eo præcisè, negari potest, quia in opus prodire nequeat, absque accessione, & adminiculo cognitionis individualis præscribentis opus hic, & nunc. Quia neque Medicina, aliæque facultates, quæ consensu omnium practicae dicuntur, & sunt, cum sint vniuersales omnes earum cognitiones, ideoque ineptæ, quæ suum obiectum, prout ipsis subest, seque solis ponant à parte rei, siquidem vniuersale nequit poni à parte rei; quidquam exequuntur absque subsidio cognitionis eiusmodi particularis sibi superaddita.

Art. 13. Dicatur itaque imprimis Theologia eminenter practica simul, & speculatiua. Practica, quia actiuitas eius inductiua voluntatis ad opera præstantissima, est maxima, & licet non sit immediatè actiua, ac motiua, est tamen cognitioni immediatè agenti, ac mouenti valde propinqua,

atque ad eandem inferendam facilis ex se, atque propensa; speculatiua verò, quia altissimas veritates certissime cognoscit cum abstractione à materia, & à circumstantiis individualibus operationis. Quæ patent ex præmissis. Suffragatur axioma Philosophi dicentis lib. 2. Metaphysic. cap. 1. text. 3. *Contemplatiuis enim finis, veritas est; Practicæ autem, opus.* Id est, ea scientia est contemplatiua, quæ ex sua natura est digna, vt addatur propter solam veritatis cognitionem, solamque perfectionem intellectus, quæ per illam acquiritur, tametsi ad nil præterea aliud vtilis esset. Practica verò ea scientiæ conuerso est, quæ digna est similiter ex sua natura, vt addatur propter solam operationem, solamque vim directiuam voluntatis, & aliarum insuper potentialium ad optimè operandum, tametsi alioquin foret vsque adeo remittere, ac exiliter perfectiua intellectus, vt ex hoc capite digna nequaquam esset per se, cui addiscenda tempus & labor necessarius impenderet. Inquam utrobique, ex sua natura, & per se, quia finis per accidens intentus ab addicente, aut vicinque proficiente aliquam scientiam, nil confert ad inducendam denominationem, ac differentiam scientiæ seu speculatiuæ, seu practicae, vt aduertit inibi Philosophus, eum non desinit, tum qui Mathematicæ, & Metaphysicæ, vel maximè speculatiuæ incumbant propter lucrum, aliosque fines absque vilo, aut vix vilo ad veritatis secundum se cognitionem affectu; tum qui Ethicæ, ac Medicinæ haud minus practicarum documenta diligenter scrutentur absque vlla ea exercendi, atque agendi, ac operandi voluntate, sed solum vt veritates possideant, quæ in illis continentur, sique pascant animum, atque delectent, acturi de reliquo iuxta solas notitias sibi cum idiotis communes. Iam Theologia est dignissima ex se, vt manifestatum est prius, quæ addicatur, tum propter solam altissimarum veritatum certissimam cognitionem, quæ in ea continetur, tametsi nil conferret ad directionem morum, & operum; tum propter solam hanc ipsam directionem, & efficacissimam vim inducendi voluntatem ad omnem honestatem, tametsi parum inde perficeretur intellectus, neque hæc perfectio esset merces labori par. Est igitur Theologia speculatiua simul & practica eminenter, vti tradit Caietanus ex D. Thoma in præfati, pluresque alij post ipsum, tametsi Caietanus paulò aliter rem exponat, ac deducat, atque à nobis exposita, ac deducta est.

Art. 14. Concludendum tamen deinde est cum eodem Diu. Thoma art. c. 4. Theologiam esse formaliter speculatiuam potius, quam practicam, seu esse magis speculatiuam, quam practicam, dicendamque esse speculatiuam simpliciter; & secundum quid practicam, vt loquuntur, ac sentiunt plerique Theologi apud Falsolum ibi numero 23. & 36. Est quidem speculatiua simpliciter, non solum propter prædictam vniuersalitatem, seu potius modum vniuersalitatis in cognoscendo: sed etiam, & maximè, quia quæcumque cognoscit, refert ad cognitionem Dei, qui est obiectum essentialiter æternum, ac immutabile, ideoque incapax, quod terminet vllam secundum se causalitatem, & perquirat omnem indiscriminatim veritatem circa ipsum, siue cognitio eiusmodi veritatum conferat proxime, siue remote, siue pro his, siue pro aliis circumstantiis, siue etiam pro nullis, & nunquam conferat ad sanctos affectus circa eundem Deum; ita vt mensura proxima, & immediata cognitionum, & discursuum non sit conducentia eayundem ad eodem

Prooemium.

dem affectus, licet re ipsa sit conuertibilis altera cum altera, atque ex consideratione reflexa huius conuertibilitatis, & ex affectu prauo conformi eidem considerationi nanciscatur studium Theologiae specialem honestatem, ac laudem, uti superius praemissum est. Hinc apparet insigne discrimen Theologiae à scientiis, communis, ac indubitata existimatione, & phrasi practicae. Medicina enim ex. gr. quaecumque cognoscit, considerat in ordine ad corpus sanabile, atque ut concludat per quae, & quomodo, & pro quibus circumstantiis induci, conseruarique possit, & licet praemittat principia aliqua quidditativa, & ex se prorsus abstracta, quia tamen illa refert vnice ad praedictum finem, atque ex eodem fine metitur modum, ac limites eiusmodi praeuiae speculationis, uti aduerit Philosophus generaliter in praedicto loco ex 2. Metaphysic. tota demum scientia euadit absolute, & simpliciter practica, idemque dicitur proportionaliter de Ethica, deque similibus omnibus. Ergo ob contrariam rationem, & modum considerandi eatenus prorsus contrarium dicenda est Theologia absolute, & simpliciter speculativa.

Art. 15. Practica autem secundum quid non eo modo, ac sensu dicitur, quo Aetiops dicitur albus secundum quid, nempe secundum dentes & partem oculorum, quasi Theologia esset simpliciter practica quatenus agit de regulis morum, deque virtutibus, & vitiis, & de circumstantiis honestae administrationis, & susceptionis sacramentorum, proptereaque toti denominaretur practica secundum quid, id est secundum eam partem, seu partes. Non, inquam, eo modo, quia Theologia non agit de praedictis siltendo in directione operationum humanarum, sed ex directa ac immediata intentione aspirat ad perfectam cognitionem Dei, ut sapientissimi legislatores, iudices, ac medici, atque hinc metitur considerationis suae limites, uti nuper dicebatur de tota Theologia, & indicat haud obicere quoad hanc ipsam partem D. Thomae in praedicto art. 4. fine, confirmarique potest ex differentia vniciue facili obuia inter Theologum scholasticum, & moralem quoad modum ipsdem de rebus agendi vniuersaliorem in illo, atque abstractiorem, contractiorem in isto, magisque circumstantionatum, ac materialem. Confirmatur rursus, quia alioquin Theologia non esset vna scientia, ne quidem vnitatem aggregationis, sed esset diuidenda in duas prorsus inuicem disparatas, quarum altera haberet pro fine perfectam cognitionem Dei, diuinarumque perfectionum, & cuius proinde subiectum esset Deus; altera haberet pro fine cognitionem perfectè directiuam operationis honestae, & cuius proinde subiectum esset eadem operatio honesta. Quod tamen est contra communem existimationem, ac intentionem. Duplici itaque alia ratione Theologia dicitur, & est secundum quid practica. Primum quia cum gloria Dei, seu nostra Dei glorificatio sit in vnoquoque genere inseparabiliter coniuncta cum proportionali utilitate nostra, uti dictum sumus lib. 6. quaest. 39. & saepe alias, dum Theologus toto suo studio directè, & principaliter incumbit glorificationi Dei, quae in manifestatione perfectionum ipsius sita est, indirectè, & secundario consequitur re ipsa notitiam perfectissimè directivam operationum suarum modo iam praedictam, idque spectat ad praxim, ut patet. Secundò quia istiusmodi directio habetur specialiter, atque propinquius, & maiori cum accessu ad indiuiduale operationum inspectionem ex tota doctrina primae, & secundae secundae, nec non ex pluribus per interualla quaestionibus tertiae partis, propinquissime eatenus accedit Theologia ad conditionem, &

conceptum scientiae simpliciter, ac formaliter practicae. Verumlibet autem horum, & multò magis verumque simul abundè sufficit ad denominationem, & verum conceptum scientiae secundum quid practicae, id est affinis valde, atque assimilis facultati formaliter, ac totaliter practicae quoad vim, & causalitatem propriam ipsius, quae talis.

Subiectum, & finis Theologiae.

Art. 16. Quod assertum initio fuit, & nuper, ac vbique suppositum, totam Theologiam ordinari ad perfectam Dei cognitionem, & maximam, quantum fieri potest, manifestationem perfectionum ipsius, ac proinde Deum esse subiectum vniuersale Theologiae, & obiectum attributionis respectu omnium, de quibus, ex quibus, & per quae in ea agitur, non tam indiget probatione, quam attempta obseruatione distinctionis inter finem extrinsecum intentum à professore scientiae, & obiectum manifestatum per totam ipsam scientiam. Finis intentus à professore potest esse quilibet eorum, & ea omnia, ad quorum conuectionem confert, seu est utilis vnaquaeque scientia, potestque multipliciter variari hic finis manente intrinsecè inuariata ipsa scientia, uti etiam contingit, & clarè apparet in quibuslibet aliarum operationum, & rerum generibus. Obiectum manifestatum per totam scientiam est, quod mediatè, vel immediatè habet rationem subiecti in omni, & qualibet propositione, ac conclusione, & in qualicumque praedicatione, ac enunciatione pertinente ad eandem scientiam. Quia praedicatum, seu quod de aliquo dicitur, est manifestatum eius, diciturque de eodem, ut ipsum manifestè, subiectum è contra est manifestè, & subiiciturque ut manifestetur. Vnde subiectum vniuersale totius scientiae est quod per totam ipsam scientiam manifestatur, estque proinde inuariabile manente inuariata intrinsecè ipsa scientia, cum quilibet cognitio, & cognitionum collectio sit essentialiter manifestatiua, sicut & repraesentatiua, ac intentionaliter assimilatiua illius obiecti, quod, & quatenus actu aliquando manifestat, repraesentat, & assimilat.

Art. 17. Iam finis Theologi extrinsecus ipsi Theologiae, tamen absolute possit esse multiplex, praecipue tamen intentus à Deo, nobisque ab eodem praescriptus, est actus salutaris, seu meritorius vitae aeternae. Id quod efficaciter probat, & operose Durandus quaest. 5. à num. 9. ad 13. imposito fini extrinsecò nomine subiecti, & restricta conclusione ad Theologiam praecise quatenus assentitur articulari fidei. Probat verò praecipue testimonio Apostoli iam iterum à nobis expenso ex 2. ad Timoth. 3. 16. *Omnia scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Vbi cum Apostolus referat ad perfectionem hominis, & ad opus salutare tanquam ad finem, & centrum totam doctrinam reuelatam, non solum secundum se immediatè, seu quoad articulos fidei, sed etiam prout est utilis ad conclusiones doctrinales, easdemque complectitur, quibus, & stabilimur veritates catholicae, ad docendum, & impugnantur errores oppositi, ad arguendum, & diriguntur mores, tum quoad fugam mali, ad corripiendum, tum quoad prosecutionem boni, ad erudiendum in iustitia. Cum hoc, inquam, ita habeat, ut patet ex contextu, & ex communi intelligentia D. Thomae, Cornelij à Lapide, aliorumque interpretum ibi, nullo

Prooemium.

nullo iure applicat illud testimonium, sicut & auctoritates alias conclusioni suae quatenus restrictae ad solum assensum articulorum, quandoquidem complectitur totam, & totaliter Theologiam. Eadem ratione refellitur Falolus dicens art. 7. dubit. 2. sine, id ut perfectum sit; non referri ad priorem partem speculatiuam, docendum, arguendum, sed tantum ad posteriorem partem practicam, corrigendum, erudiendum. Quae sane particio est omnino voluntaria contradicens vniuersitati textus quoad omnia indiscriminatum, & communi eius intelligentiae, & insuper rationi, quia Theologia etiam quae censetur maximè speculatiua, est valde utilis, & confert plurimum ad perfectionem hominis, & ad omne opus salutare, vti luculenter demonstratum est superius.

Art. 18. Constituto igitur, talem esse ex natura rei finem extrinsecum Theologiae; & supposito, quod est per se manifestum, & nec Durandus, nec vilius alius negat, eundem finem conuertibilem minime esse, & multo minus indentificatum cum subiecto vniuersali Theologiae, iuxta praemissum talis subiecti expositionem, suadet facile eiusmodi subiectum Theologiae esse Deum secundum conceptum absolutum, totamque amplitudinem diuinitatis absque restrictione ad aliquod peculiare praedicatum ipsius, aut absolutum, aut relatiuum siue ad intra, siue ad extra, & absque vilius talis praedicati exclusionem. Quae est sententia D. Th. art. 7. aliorumque communior. Suadetur vero primo, quia subiectum fidei, quae subordinat sibi reliquam doctrinam Theologicam, ut dictum est supra, est Deus, ut patet; tum ex symbolo, quod incipit à confessione, ac manifestatione Dei, & progreditur attribuendo eidem cetera omnia, atque augendo ista ipsa attributione manifestationem diuinarum perfectionum; tum ex hac consideratione, quia cum Deus creauerit omnia propter se, & propter gloriam suam, atque beatis spiritibus hoc munus imposuerit, ut laudent ipsum, & glorificent in saecula saeculorum; isque sit sermo ipsorum perpetuus; fieri minime potuit, ut praestantissimum opus loquutionis suae, & magisterij erga substantias rationales creatas non dirigeret ad eundem suae glorificationis finem, quae in manifestatione sui, suarumque perfectionum sita est, nec voluerit eatenus praere exemplo iis, quibus praecipit, ut sint perfecti, sicut Pater eorum caelestis perfectus est, praecipit verò lege, quae viget multo magis in Regno caelorum.

Art. 19. Suadetur rursus ab incommodo, quia si Theologia non esset scientia de Deo, tanquam de subiecto suo vniuersali propriè tali, nulla esset apud Christianos scientia ipsorum propria de Deo, atque praediti altiori lumine fidei ad cognoscendum intimius Deum, non tantumdem impendissent illud indaganda perfectae diuinorum cognitioni, quantum omnes ubique gentes semper impenderunt lumen rationis naturalis indaganda perfectae cognitioni animalium, plantarum, astrorum, elementorum, corporis naturalis, entis, numerorum, sonorum, aliorumque eiusmodi, de quibus incomparabiliter minus dignis, minorisque cognoscibilitatis, & minus sollicitantibus, ac explentibus appetitum sciendi speciales scientias instituerunt. Quod sane praeposteræ comparationis, ac institutionis portentum est per absurdum, ac prorsus incredibile.

Art. 20. Suadetur denique, & ponitur ob oculos clarè ex ipso Theologiae processu. Incipit enim à quaestione; An sit Deus? atque attributa illi existentia, pergit attribuire eidem continua praedicationum serie conceptum suum essentialem, omnesque, & singulas perfectiones absolutas ad illum quasi

consequentes ratione naturali plurimum eatenus cooperante fidei. Iis peractis sola ferè manucente fide instituit nouam praedicationum seriem circa mysterium Trinitatis à quaestione; An Deus sit Trinus? atque attributa Trinitate personarum, pergit attribuire similiter quaecumque ad eam Trinitatem consequuntur. Hinc fit vlterior progressus per alias, atque alias nouas similiter praedicationum series ad conceptus Dei respectuos ad extra in actu secundo, ac primò ad conceptum ceteris notiore primae causa efficientis, à quaestione; An Deus sit creator? atque ad maiorem huius praedicati manifestationem considerantur totum imprimis vniuersum, eius perfecta dispositio, & ordo, ac deinde praecipue eiusdem vniuersi partes, Angelus, & homo, in quibus praecipue elucet perfectio creatoris, quatenus ex effectibus innoteat causa, & magis ex maioribus; ita ut quidquid dicitur de iis effectibus immediate, dicatur quodammodo mediè de Deo, atque redeunder in maiorem manifestationem, & glorificationem ipsius. Eadem est proportionalis ratio de conceptu vltimi finis, deque mediis regulatis per ipsum, & perducuntibus ad eundem, nempe de actibus humanis, & de virtutibus, deque eorum principijs intrinsicis, ac extrinsecis, necnon eorum lem proprietatibus. Eadem quoque est ratio de Deo Redemptore, deque mediis redemptionis, nempe de operationibus Christi Domini, & de Sacramentis. Eadem denique ratio est de Deo supremo Iudice viuorum, atque mortuorum, deque vltimis praemijs, ac supplicijs, quae sunt terminus Theologiae considerationis. Patet itaque clarè, subiectum vniuersale totius Theologiae, omniumque, & singularum eius partium esse Deum secundum conceptum absolutum diuinitatis modo dicto, idque credo ita à nobis expositum, ut praecipue sufficenter fuerint difficultates in contrarium.

An Theologia sit vna?

Art. 21. Dependenter ab vnitatem subiecti huius in se realiter simplicissimi Theologia vnitatem quandam sortitur quoad omnes suas partes. Necesse namque est, ut quae ad vnum aliquod specialiter referuntur, speciali aliqua propterea coniunctione inter se copulentur. Eiusmodi vnitatis inter discursus, aliasque enunciationes actuales est solius collectionis, non tamen purè aggregatiuae, ex qua sola qualicumque relatione plurium ad vnum proprie tale, qualis est vnitatis exercitus, seu plurium militum sub vno duce, sed est collectionis coniunctae cum connexionem intrinsecam, ac essentiali collectorum inter se. Quia cognitiones pertinentes ad vnam scientiam, ratione methodi, quae est de conceptu vnius scientiae totalis, connectuntur inter se intimè, quatenus posteriores à prioribus essentialiter dependent, nec aliter ad vnam, eandemque scientiam pertinere possunt, tametsi subiectum alioquin habeant commune, quae de re alibi pluribus. An Theologia habitualis sit vna simplex qualitas eiusdem infimae speciei in omnibus Theologis, & vna tantum numero in vnoquoque Theologo, tametsi à pluribus controuertatur fusè in vtramque partem; res tamen est, quod ad praesens attinet, parui momenti. Sufficit enim statuere Theologiam rationis propter praemissa vnitatis subiecti vniuersalis, & methodicae connexionis inter actus, quibus exercetur, esse, ac dici vnam scientiam ad eum modum, eaque ratione, quibus Physica communiter dicitur, & est vna scientia, & Metaphysica est vna alia scientia.

Art. 22.

Prooemium.

Artic. 22. Hoc porro vniuersaliter est apud me certum ex dictis quaest. 1. de Virtutibus moralibus, habitus intellectuales multiplicari specie iuxta multiplicatam specificam motui formalis, seu totalis, seu partialis, nec aliter, aut aliunde multiplicari illos posse, saltem respectu eiusdem, seu numero, seu specie intellectus, ita vt omnes, & soli actus, & habitus inducti per diuersas rationes formales motiuas, sint pariter inter se diuersi. Exercetur autem Theologia actibus, & habitibus inductis per diuersas, & specie, imo & genere differentes rationes formales motiuas, vt paulo post apparebit ex consideratione locorum, vt dicitur, Theologicorum, hoc est motiuorum Theologicarum. Ergo Theologia adaequatè sumpta, & considerata secundum omnes suas partes, omniaque actuum genera, quibus exercetur de facto etiam apud optimos, summosque Theologos, constat vtique pluribus habitibus realiter inter se distinctis, & specie diuersis, ac proinde Theologia habitualis est vna vnitatem solius collectionis, ad eum modum, eaque ratione, quibus dictum modum est, Theologiam actualem esse vnam quoad speciem per ordinem intrinsecum partium ad vnum commune subiectum, & per dependentiam, atque connexionem intrinsecam, & multiplicem connotationem eisdem intrinsecam inter alias, & alias partes.

Artic. 23. Verum si de Theologia sermo sit praecise quatenus assentitur articulis fidei, & amplectitur dogmata certa ex fide, quae talia, dubitari non potest, quin eatenus sit vna simplex qualitas eiusdem infimae speciei in omnibus Theologis, & in vnoquoque vna numero. Quia omnes eiusmodi actus sunt proprii fidei Theologicae, cuius habitum, certum est, nec multiplicari specie in diuersis, nec nisi vnicum numero esse in vnoquoque homine, vt dicitur in loco. Vnde Diu. Thomas artic. 3. iure optimo pronuntiat absolute sacram doctrinam non solum esse vnam scientiam, sed etiam esse vnum habitum. Quia videlicet sacram doctrinam (qua voce utitur vt conuertibili, imò & synonyma cum Theologia, quam tradere instituit) accipit pro tota, & sola collectione actuum intellectus, quibus attinguntur objecta à Deo reuelata, quatenus reuelata ab eodem sunt, vt superius artic. 3. obseruatum iterum à nobis fuit, atque innotesceat clare pro re praesenti ex ista suae conclusionis probatione, quam immediate subiungit. *Quia igitur sacra scriptura considerat aliquam secundum quod sunt diuinitus reuelata (secundum quod dictum est) omnia quaecumque sunt diuinitus reuelabilia, communicant in vna ratione formali obiecti huius scientiae, & ideo comprehenduntur sub sacra doctrina, sicut sub scientia vna.* Ista usurpatio Theologiae, seu sacrae Doctrinae pro sola Doctrina reuelata, placeat etiam Alesi tota quaest. 1. & pluribus aliis Theologis praesertim antiquioribus, quibus proinde licet dicere consequenter, Theologiam esse vnum tantum habitum vnius infimae speciei. Ceterum posteriores Theologi, qui nomine Theologiae comprehendunt omne genus cognitionum, quibus exercentur Theologi scholastici, omnemque habitum ab iisdem vi earundem cognitionum vtumque adquisitum, non recte opinantur, dum Theologiam eatenus, seu sub ea etiam amplissima significatione adaequatè sumptam, esse habitum nihilo secius simplicem mordicus timentur, quasi in ea re sicut loquutionem, ita & mentem fideliter retinerent Angelici Doctoris, à quo tamen differunt plurimum reipsa, quatenus eandem

Theologiae vocem sub diuersa longè suppositione, & significatione usurpant. Certè Theologia est argumentatiua ex consensu omnium cum Diuo Thoma artic. 8. Necesse autem est, vt per eiusmodi assiduam argumentandi exercitationem requiratur duplex habitus, alter conferens facilitatem argumentandi Theologicè, alter conferens facilitatem assentiendi conclusionibus illatis propter connexionem extremorum cum medio. Quorum quidem habituum neuter mouetur reuelatione diuina saltem sola, cum neque modus argumentandi Theologicè sit reuelatus, neque connexio extremorum cum medio, qualis adhibetur per industriam Theologi, ac proinde vtique habitus est specie diuersus ab habitu attingente obiecta, vt reuelata à Deo, seu sub motione diuinæ reuelationis, atque hoc est verum etiam quando ambae praemissae sunt de fide, iuxta dicta libro 6. quaestione 29. articulo 7. Adde pleraque Theologorum argumentationes constare praemissis, quarum neutra sit, vel saltem altera non sit de fide, atque praemissas, quae non sunt de fide, esse multiplices non solum materialiter, & entitative, sed etiam formaliter, & in esse scibilibus, seu quoad rationem formalem motiuam intellectus, vt quiuus aduertere facile potest, & apparebit clare ex iis, quae mox subiiciuntur de locis Theologicis. Multiplicantur autem specie actus, & consequenter habitus per eisdem actus adquisiti, quoties, & quantum multiplicantur specie eiusmodi rationes formales motiuas, iuxta principium vniuersale nuper praesuppositum.

Artic. 24. Neque verò huic argumento satisfieri potest dicendo ad vnitatem specificam habitus sufficere vnitatem specificam rationis formalis sub qua attinguntur obiecta vtumque diuersa entitative, tametsi rationes etiam formales motiuas, seu quae mouent intellectum ex parte eorundem obiectorum secundum se, sint pariter diuersae, multumque dissimiles inter se. Qua vtique de causa album, & nigrum, aliaeque colorum species, licet moueant visum formaliter secundum suam vnaquaque rationem differentialem, adeoque gignant totidem actus videndi specie diuersos, comprehenduntur nihilominus omnes sub vna potentia visiva. Quia videlicet conueniunt nihilominus vniocè omnes colores quoad conceptum visibilis vt sic, quae est ratio formalis sub qua attinguntur per visum. Hoc exemplo vltus est Diuus Thomas vbi supra pro ea sua conclusione, cui illud iuste congruit, vt appareat ex praedicta ipsius ratione. At pro amplitudine omnis, & qualiscumque facilitatis intellectualis, quam Theologus acquirit per suos actus vniuersim omnes, idem exemplum, & ratio, cui admoventur, conuincere nil potest. Quia cum potentia visiva, aliaeque similes potentiae non generentur per actus, sed procedant adaequatè à principio vniuersaliori, non necesse est, vt multiplicentur iuxta multiplicatam actuum, possuntque respicere obiecta secundum rationem formalem, sub qua, latius patentem, quam quae singulis actuum speciebus peculiariter correspondet. Longè verò alia ratio est de habitibus adquisitis, ac inductis per actus. Quia virtus actiua, ac inductiua habituum conuenit actibus iuxta specialem cuiusque perfectionem specificam, ideoque eadem ratione, qua fieri non potest, vt ex albo, & nigro, aliisque rationibus formalibus motiuis, vt quae, specie diuersis non proueniant

Prooemium.

niant totidem actus videndi specie inuicem diuersi; fieri quoque minimè potest, vt ex actibus intellectus specie itidem diuersis non proueniant similiter totidem habitus specie diuersi, vtrumque vtrouique excogitetur ratio aliqua generica, seu sub qua, seu modi tendendi plures sibi species, seu motuorum, seu actuum subiiciens.

Art. 25. Accedit rationem formalem sub qua, pro vt secernitur à ratione formali motiua quæ, dupliciter ab aliis, atque aliis authoribus accipi. Primò nimirum pro obiectis in vnaquaque scientia cognitis, seu quatenus denominatis per rationem formalem motiua quæ, seu pro eadem ratione motiua sumpta quasi passiuè, & in concreto, qualis ratio formalis sub qua, respectu fidei, est ratio reuelati, seu reuelabilis à Deo, & respectu visus, ratio seu coloris, seu lucidi, seu vtriusque simul, quo pacto loquebatur paulò prius D. Thomas. Secundò pro iisdem obiectis, vt denominatis à potentia, vel habitu, per quos cognoscuntur, qualis ratio formalis sub qua, respectu visus est ratio visibilis, respectu fidei ratio credibilis, & sic de similibus. Prior denominatio, seu ratio formalis sub qua derivata ex ratione formali motiua quæ, multiplicatur specie, vt per se patet, iuxta multipliciter specificam ipsius rationis formalis quæ, cum solum differant penes modum significandi actiuè, & passiuè, ac proinde ex hoc capite nulla, vel apparens potest haberi solutio argumenti propositi. Posterior denominatio, seu ratio formalis sub qua, est prorsus inutilis pro scopo, in quem dirigitur. Quia vt aduertit optimè Vasquez disputat. 8. cap. 3. Ex Philosopho. 5. Metaph. capite 15. scientia non refertur ad scibile, vt scibile est, neque visus ad visibile, vt visibile est, & sic de similibus, sed ad rem ipsam secundum se, quæ scibilis, seu visibilis est. Nempè in denominatione scibilis, & visibilis includitur intrinsecè forma denominans, quæ est scientia ipsa, & potentia visiva, sicut in denominatione albi, & nigri includitur albedo, & nigredo. Vnde si scientia referretur ad scibile, vt scibile, atque inde speciem, ac vnitatem sortiretur, referretur vtrique ad seipsam, essetque sibi causa perfectionis suæ specificæ, & unitatis, & sic de visu, deque aliis similibus. Pater itaque habitus adquirentes, quorum vnitatis, & multipliciter prouenit, tanquam ex causa vltimò determinante, ex vnitatis, & multipliciter obiectorum, circa quæ versantur, non posse, aut vnitatem, aut multipliciter specificam sortiri ex ratione formali sub qua, secundum prædictum posteriorem sensum. Veniendum igitur est pro ea re ad rationem formalem motiua quæ, quam rationem formalem, dictum ac ostensum est, esse multiplicem specie in Theologia adæquatè sumpta secundum totam suam latitudinem, quam proinde concluditur esse eatenus vnā vnitatis solius collectionis non minus, aut non longè aliter quoad habitus, quam præmissum ante fuit quoad actus, nempè relatè ad vnum omnium subiectum vniuersale. Id quòd spondimus manifestandum iri clariùs ex locorum Theologicorum consideratione, quam tempus iam est, vt subiiciamus.

Loca Theologica.

Art. 26. Loca Theologica, seu sedes, & principia argumentorum, quibus vtitur Theologus, septenario communiter numero comprehen-

duntur. Primus locus est sacra scriptura, seu verbum Dei scriptum. Secundus Traditiones Apostolicæ, seu verbum Dei non scriptum. Tertius definitiones Summorum Pontificum docentium ex cathedra. Quartus definitiones Conciliorum œcumenicorum. Quintus Doctorum Ecclesiasticorum consensus. Sextus communis fidelium sensus. In quibus duobus locis Doctores Ecclesiastici, & fideles accipiuntur in sensu formali, & attenditur eorum, quatenus tales sunt, sensus, & consensus, nempè quoad ea puncta, quæ pertinent ad religionem. Septimus locus est veritas naturaliter certa. Hæc omnia loca reducuntur ad duo summa capita, nempè ad auctoritatem, seu locum ab extrinseco, & ad rationem, seu locum ab intrinseco. Ad auctoritatem pertinent priora sex loca, vt patet, necnon locus septimus ex parte, quatenus veritates aliquæ redduntur naturaliter certæ ex auctoritate Philosophorum, historicorum, aliorumque quorumlibet naturaliter sapientium, necnon populorum in vnum aliquid consentientium naturaliter. Iam ratio, licet vnum tantum locum, eumque non adæquatè constituat, peruagatur tamen per cetera loca omnia, dum ad vnum ea rediguntur. Verum quia seruiliter tantum, & adinuatim adhibetur in Theologia iuxta illud Apostoli, *captiuantes intellectum in obsequium fidei*, vt clarè apparet ex præmissis superius, prius de auctoritate, qua nititur fides, dicendum est.

Art. 27. Auctoritas alia est infallibilis, fallibilis alia, quarum prior efficit argumentum, quòd ad certitudinem attinet, plusquam demonstratiuum, posterior soli potest esse utilis argumento topico perficiendo. Auctoritas infallibilis tota primitus descendit à verbo Dei. Omnis enim intellectus creatus est ex se fallibilis, saltem quoad mysteria exponenda à Theologo, & similiter est fallax omnis voluntas creata. Verbum Dei scriptum continetur in libris sacris, quibus simul sumptis nomen est Biblia Sacra. Verbum Dei traditum constat notitia, & confessione fidelium agnoscentium illud, & prædicantium vt tale, seu vt verum Dei verbum per continuam semper seriem docentium, & discipulorum à postremis ad primos vsque, qui à Deo edocti immediate fuere. Vtrumque verbum est eiusdem prorsus infallibilitatis, ac dignitatis, vtpotè eundem habens auctorem Deum optimum maximum, qui prouidet, ne scripturæ suæ vnquam pereant, vtrique substantialiter incorrupta aliqua temper earum exemplaria supersint cum discernibilitate ab exemplaribus vitiatis, ac spuris, & similiter prouidet, ne vnquam populo fideli obrepat sanctarum traditionum aut obliuio, aut adulteratio.

Inter traditiones Apostolicas, & Verbum Dei scriptum differentia duplex.

Art. 28. Duplex inter alia præcipuum discrimen inest vtrique Verbo Dei. Primum est Verbum Dei scriptum vniuersaliter, & apud omnes niti verbo Dei tradito, non autem è conuerso. Omnes enim agnoscunt verbum Dei scriptum, & quod verè tale est, discernunt à supposito, & ficto dependenter à traditione, nec aliter agnoscere, ac discernere possunt iuxta prouidentiam Dei ordinariam, cum traditio per seipsam sit agnitua sui, & discretiua veritatis, ac legitimatis propriæ ab opposita falsitate, & fictione. Ratio huius tantæ differentie

Prooemium.

rentia est, quia charta perinde excipit, exhibetque lectori vera, & falsa, exarata ab amanuensi Dei, & diaboli, quibus suffragantur realia, & ficta argumenta credibilitatis extrinseca; & cum scriptura non sit supra seipsam reflexiua, nullum ex iis discrimen circa se manifestare potest, adeoque nec exprimere potest certitudinem potius, quam incertitudinem eorum, quae significantur per ipsam. At notitia, habita per traditionem concipitur cum discretionem eorundem omnium, estque supra seipsam reflexiua, seu manifestatiua sui simul cum obiecto directe cognito, ac proinde quae est legitima, & verè deriuata à Deo, certificat cognoscentem de sua, & eorum, quae traduntur, infallibilitate; idque ipsum praestare nullo pacto potest notitia traditionis adulterinae, vti liquidò apparet ex iis, quae vniuersaliter traduntur infra libro sexto, circa certitudinem, ac infallibilitatem fidei catholicae, & circa argumenta credibilitatis eidem suffragantia. Constat itaque fidem diuinarum scripturarum vniuersaliter niti fide traditionis diuinæ, atque ab eadem primitus descendere, & non è conuerso. Vnde vltius apparet, agnoscentes aliquam scripturam vt diuinam, & sibi à maioribus traditam vt talem, simulque reiicientes totaliter fidem diuinarum traditionum, procedere inconsequenter, ac stultè, quandoquidem in ipsa agnitione scripturae vt diuinæ, sibi quæ traditæ, vt talis, nituntur traditione, qualem dicunt nullam se agnoscere velle vt diuinam. Sed neque efficere possunt, absque pari inconsequentia, ac stultitia, vt acceptent tanquam diuinam istam particularem de diuina scriptura traditionem, quin pariter amplectantur omnem aliam traditionem, cui sint communes cum illa particulari omnes notæ, seu signa, ac argumenta auctoris Dei. Alio præterea ex capite incidunt in inconsequentiam, qui negant assensum fidei traditionibus Apostolicis, seu à Deo per Apostolos ad nos deriuatis, simulque amplectuntur in integrum Bibliam sacram, quam vt talem, & contentiuam diuinarum reuelationum, totiusque Verbi diuini scripti agnoscit Ecclesia Catholica Romana, quia isto Verbo Dei scripto docemur de eadem fide adhibenda Verbo Dei tradita, quæ assentimur ipsi Verbo Dei scripto, vt liquet inter alia ex illo Apostoli 2. ad Thessalon. 2. 14. *Itaque fratres stante, & tenete traditiones, quas didicistis, sine per sermonem, siue per epistolam nostram.* De quo, & aliis similibus videri potest Bellarmin. libro 4. de Verbo Dei, cap. 5.

Artic. 29. Alterum discrimen est, oportuisse, & quia Deus semper facit, quod oportet, seu quod est optimum, atque optimo modo, ita etiam de facto dispositum esse, vt per Verbum Dei traditum de paucis articulis, atque sensu plano, ac simplici, ac per Verbum Dei scriptum de quampluribus, & multipliciter, ac mysteriosè, profundèque doceretur. Ratio est, quia traditiones Apostolicæ conseruantur in notitia, & memoria multitudinis fidelium per totum orbem dispersæ, & succedentis per omnes ætates ad finem vsque mundi; atque multitudo quælibet est tenuis, & crassæ intelligentiæ in quibusdam præsertim, & locis, & temporibus; memoria verò hominum est in vniuersum valde limitata eo, vel maximè, quia multis vitæ humanæ necessariis, & plerique etiam non necessariis negotiis distrahuntur, ac impediuntur quamplurimum, ac proinde necesse fuit, iuxta hu-

manæ naturæ conditionem; vt non paucæ, & de plano doceremur per traditionem. At per scripturam è conuerso, quamplura, & ex iis non pauca latebrosè, arcanisque modis doceri, & poruerunt, & debuerunt, atque iuxta eandem iustæ vbique, & suauis providentiæ Diuinæ leges edocta de facto sunt. De possibilitate nil attinet dicere, cum scripturæ capacitas sit illimitata pro quantalibet multitudine documentorum, & pro quouis genere, ac modo exprimendi conceptus proprios. Conuenientiam, ac necessitatem documentorum quamplurium reddit manifestam profunda hominum ignorantia, & hebetudo pro isto, præsertim naturæ lapsæ deplorabili statu, & maximè circa res diuinas, & circa supernaturales, ac purè intelligibiles veritates, quarum quamplurimæ notitiæ sunt homini necessariae, vt conuenienter, & rectè dirigatur in omni suo opere, cogitatione, & affectu ad altissimum sibi propositum finem, vique eidem constantissimè adhæreat toto vitæ mortalis decursu, declinatis innumerabilibus ex patre diabolo insidiosis erroribus, & superatis grauissimis ex eodem, ex mundo, & ex illecebrosa sensuum decliuitate difficultatibus. Iam conuenientiam arcanarum frequenter significationum, & multipliciter velatarum exponit optimè ex Sanctis Patribus, Pater Valentia puncto 5. §. 3. ad medium, occasione metaphorarum scripturæ, quarum obscuritatis rationes sunt prorsus communes toti reliquæ obscuritati scripturæ eiusdem.

Conuenientia obscuritatis Scripturæ Sacrae.

ARTIC. 30. Prima ratio Diui Hieronymi est, vt obscuritate scripturæ excitemur, & quodammodo cogamur ad frequentem communicationem cum Deo per petitionem intelligentiæ, quam ab ipso solo consequi possumus, & consequemur humiliter petendo, iuxta illud Lucae 11. *Ponite, & accipietis.* Secunda Theophylacti est, vt difficultate intelligendi attentiores reddamur, & diligentiores in scrutinio scripturarum, provt decet considerantes verbum Dei supremi Magistri nostri, ac Domini. Tertia Diui Gregorij est, vt ex textu propter profunditatem latentem pullularent plures sanctorum interpretationes, speciali singularum vtilitate fecundæ, ac salutares, & illabentes in animum maiori cum vi, & suauitate propter verbi Dei in omnibus refulgentiam. Quarta Augustini libro 2. de Doctrina Christiana cap. 6. est, vt diuina mysteria multiplici velamine decenter cooperta, & ornata venustè, nec vilescant nobis, nec pariant fastidium. Quinta eiusdem Augustini ibidem, & Clementis Alexandrini est, vt dometur, ac frangatur superbia nostra labore intelligendi, & agnitione tenuitatis nostræ insufficientis ex se. Sexta Chrysostomi est, vt laboriosius eruta diuina documenta ed firmitus inhaereant memoriæ, animoque nostro. Septima demum ratio Diui Dionysij cap. 2. Cœlestis Hierarchiæ, & cap. 1. & 2. Ecclesiastica Hierarchiæ, est vt diuina mysteria occultarentur infidelibus, ac profanis, nec essent exposita irrisioni eorum, iuxta illud Matthæi 6. 7. *Nolite dare Sanctum canibus.*

Artic. 31. Radix rationum istarum omnium, quæ

Proœmium.

quæ sunt optimæ, petitur ex impossibilitate maioris claritatis respectu intellectus humani. Quia sola impossibilitate vitur in eundem scopum. Dñus Thomas artic. 9. corpore, eandemque exponit ibidem optime, atque demonstrat. Quia nimirum intellectus humanus quoad omnes suos actus dependet saltem mediâtè à sensu, neque quidquam spirituale percipi à nobis potest nisi mediante obiecto aliquo sensibili, atque per species, & ad instar ipsius. Sensibilia autem distant quamprimum à rebus spiritualibus, à Deo vidè, attributisque diuinis distant infinîtè, atque analogia illorum cum iis est inadæquata, & admodum exigua, atque coniuncta cum dissimilitudine incomparabiliter maiori, quàm sit similitudo. Cum ergo eò obscurius, ac difficilius vnumquodvis obiectum perducatur intellectum ad cognitionem obiecti alterius, quo maior est distantia, & dissimilitudo prioris respectu posterioris, & præterea sit necessaria multiplicatio symbolorum ad perfectam, aut non vique adeo imperfectam intelligentiam rei, quæ per illa insinuat, vbi symbolum vnumquodque est inadæquatum, & eò magis, quò inadæquatio, & insufficiencia est maior; fieri vtiq; minimè potuit, vt spiritualia, & diuina nobis reuelarentur præterquam admodum obscurè, & per rimulas vix peruias intellectui nostro, nec penetrabiles nisi per attentissimam, difficillimam, ac pertinacem inspectionem; minusque consultum fuisset imbecillitati nostræ, si pauca, & rarer, & non potius quamplura, & frequenter scripturis diuinis inserta fuissent sensibilia multiplicis generis symbola occultè manifestatiua mysteriorum diuinorum. Quia vero vniuersæ res sensibiles primitus creatæ à Deo sunt, & institutæ propter homines, atque ad ipsorum omnimodam vtilitatem vnice ordinatæ; mirum profecto non est, dependentiam hominis à sensibilibus ad intelligenda spiritualia, atque difficultatem intelligendi inde prouenientem esse coniunctam cum pluribus illis vtilitatibus nuper præmissis ex Sanctis Patribus, vt videri possit obscuritatem, & difficultatem quasitas de industria fuisse, & non ex natura rei ineuitabiles.

Quadruplex Sacra Scriptura sensus.

ARTIC. 32. Vt vt hoc habeat, ex præmissis duplici discrimine inter verbum Dei traditum, & scriptum, apparet clarè, nulla nobis prænotatione speciali opus esse circa traditiones Apostolicas quoad vsum ipsarum in argumentationibus Theologicis, quandoquidem sensus earum est simplex, & planus, atque adeo vsum debet esse vniformis cum vfu aliorum principiorum, quæ sunt naturaliter nota. At circa verbum Dei scriptum, propter multiplicem ipsius obscuritatem, ac sensum, necesse omnino est aliqua prænotare ex communi Theologorum, & consensu, & consuetudine, nempe quæ ad vsum argumentationis Theologicæ opportuna, atque adeo necessaria sunt, præcis cæteris, quæ eodem pertinent, atque permissis fufiori sacrorum interpretum expositioni. Quadruplex imprimis sensus, seu significatio Scripturæ sacræ communiter attribuitur, literalis, seu historicus, allegoricus, moralis, & anagogicus.

Sensus literalis est vis significandi, quæ inest ipsis vocibus secundum se, quatenus potentibus excitare in legente, seu audiente conceptum, ac notitiam talium determinatè rerum, prout substantium conceptui loquentis. Qui quidem sensus est omnino naturalis quoad modum significandi, iuxta primænam vocum institutionem, estque proinde communis cum loquutione, & descriptione humana. Reliqui tres sensus ita differunt formaliter à literali, vt tamen inter se differant materialiter tantum, atque contineantur sub conceptu sensus spiritualis, vt indiuidua potius, sub specie infima, quàm vt species sub genere. Sensus porro spiritualis est significatio vterior conueniens rebus ipsis significatis immediatè, ac literaliter per voces. Inquam verò significatio ad placitum, qualis est significatio vocum, quia quæ conuenit rebus ex natura rei propter connexionem intrinsecam aliarum cum aliis, non dicitur sensus vllò pacto, verum neque significatio spiritualis dicitur, sed naturalis, siue terminus connexionis sit aliquid naturale, ac materiale, siue etiam sit aliquid spirituale, ac supernaturale. Inquam rursus, rebus non qualibet, sed contingentibus præter ordinem, ac seriem causarum naturalium inducentium necessariò suos effectus, & assumptis ad significandum euentus alios itidem contingentes absolutè, tempore posteriores. In hunc modum accipi ab omnibus sensum spirituale liquidò apparebit ex iis, quæ mox subiiciemus circa tres prænominate differentias ipsas. Manifestum interim est, modum istum loquendi, ac significandi esse supernaturalem, & proprium solius Dei, vt etiam obseruat Diuus Thomas artic. 10. Quia solus Deus, vt omnipotens, & omnipotens, est & præscius ex se futurorum contingentium, & habet in potestate vt tales determinatè euentus contingentes tempore priores talibus aliis determinatè euentibus contingentibus tempore posterioribus iuste correspondant, idque sub determinatè mensura, qualitate, & circumstantiis, quibus terminetur, ac determinetur significatio.

ARTIC. 33. Euentus huiusmodi significantes, & significati in scriptura, ad tres classes distinctiuas prædictorum trium sensuum reuocantur à Diuo Thoma in eodem artic. 10. & à plerisque aliis antè, & post ipsum. Prima classis continet gesta veteris testamenti, quatenus iis præsignificata fuere, quæ gerenda erant in nouo testamento: atque hæc pertinent ad sensum allegoricum. Sub morali verò, seu tropologico continentur quæcumque seu in veteri, seu in nouo testamento acta sunt, quatenus illis inest significatio eorum, quæ nos agere debemus, id est, quæ confert ad mores honestè, sanctèque formandos. Tertiæ classi adscribuntur euentus militantis Ecclesiæ circa membra, & maxime circa caput ipsius Christum, quatenus iis prænunciantur, quæ futura sunt in Ecclesia triumphante, & vita æterna; atque hæc significatio dicitur sensus Anagogicus. Diuus Augustinus libro de vilitate credendi cap. 3. omnes istos tres sensus includit promiscuè sub allegoria, vt obseruat Diuus Thomas 1. c. ad 2. vbi etiam meminit Hugonis de Sancto Victore solos agnoscantis tres sensus, historicum, seu litteralem, allegoricum, & tropologicum, seu moralem, adeoque complectentis sub allegorico anagogicum quoque. Solent etiam non raro iudem omnes sensus sub conceptu sensus symbolici

Proœmium.

symbolici vniformiter comprehendi, quatenus omnis ea significatio rerum ac euentuum per res alias, ac euentus est vbique coniuncta cum affinitate aliqua, & assimilatione, atque symbolizatione mutua inter operationes, ac res significantes, & significatas, vt eo facilius, ac efficacius induceretur in animos nostros notitia à Deo intenta per eiusmodi suam propriam loquutionem, ac magisterium, possetque eadem notitia delectabiliter augeri, ac radicari adminiculo symboli diu, ac sedulo considerari, atque deinde comparari cum Mysterio reuelato. Verùm hæc postrema ferè pertinent ad solum modum loquendi.

Artic. 34. Quod ad rem ipsam attinet, verum est ex fide, in sacra scriptura vltra sensum litteralem dari sensum etiam spirituales, saltem eum, qui à nobis cum plerisque aliis allegoricis dictus est. Id quod vniuersaliter imprimis, ac veluti in genere apparet clarè ex Apostolo 1. ad Corinth. 10. Vbi præmissis Patres veteris testamenti omnes sub nube fuisse, cum pluribus aliis, quæ iisdem contingere, subdit vers. 11. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis*, & ad Hebræos 10. post longam, & accuratam per plura capita discussionem signorum, ac symbolorum veteris testamenti respectu noui, subiungit istam causalem suppositionem: *Vmbra enim habens lex futurorum bonorum*, futurorum vtique in noua lege, in qua stabilienda, ac persuadenda totus est in tota illa Epistola. Deinde particulariter, & veluti in specie, multis aliis prætermisissis, duo sunt exempla perillustria. Alterum habetur Ioannis 19. Vbi prænarrato fracta à militibus fuisse crura duorum, qui simul cum Christo Crucifixi fuerant, latronum, Christi verò crura fracta minime fuisse, tamen petitio Iudæorum, & decretum Pilati de fractione, Christum quoque complecteretur indiuisum, subiungit Euangelista vers. 36. *Facta sunt enim hæc, vt scriptura impleretur: os non comminuetis ex eo*. Quod sanè dictum in sensu litterali de agno Paschali Exod. 12. 46. dici neutiquam potuisset impleri in Christo Domino propter seruam integritatem ossium eius, nisi & hæc consignificata perinde fuisset in sensu spirituali, quandoquidem nulla seu loquutio, seu scriptura aut impletur, aut euacuatur ratione eius, quod per illam significatum minime est ex intentione loquentis. Eadem ponderatio æquè cadit in exemplum alterum ex Matth. 2. vbi præmissis recessu pueri IESU in Egyptum, reuocandi per Angelum ad patriam post obitum Herodis, subditur vers. 15. *Vt adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Egypto vocaui filium meum*. Dictum autem hoc litteraliter fuerat Osee 11. 1. de populo Israelitico, quem & Exod. 4. 22. filium sum primo-genitum appellat Deus. Eodem vel maxime pertinet locus insignis ex 4. ad Galatas, vbi præmemorato quod habetur Gen. 16. 15. & 21. 2. de duobus filiis Abraham, altero de ancilla, altero de libera, subdit Apostolus vers. 24. *Quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta, &c.* Quo nil apertius pro dogmate isto esse potest. Si enim in quæ constat à Deo dicta esse, per allegoriam dicta sunt, inest profecto illis sensus allegoricus à Deo intentus vltra litteralem. Iam sensus moralis, seu tropologicus redditur certus ex vnanimi consensu, & frequentissimo vsu S. S. P. P. aliorumque interpretum, & confirmari ex eo potest, quia iuxta Apostolum ad Rom. 15. 4. *Quacumque scri-*

pta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus; atque huiusmodi vtilitas scripturæ spectat præcipuè ad sensum moralem. Anagogicus demum, vltra eum in communem consensum, habet pro se Diuum Dionysium dicentem capite 5. Ecclesiast. hierarchiæ, parte 1. nouam legem esse figuram futuræ gloriæ, ad eum vtique modum, quo dictum est ex Apostolo, legem veterem fuisse figuram nouæ legis, vt & comparat D. Thomas.

Artic. 35. Isti tres sensus fundantur in sensu litterali, eumque essentialiter præsupponunt, vt potè vniuersaliorem, & magis necessarium, minique perfectum. Moralis, seu tropologicus supponit similiter allegoricum, & anagogicus vtumque vbiicumque simul reperiuntur. Anagogico, qui est summæ perfectionis, & profundior, adhæret specialiter, atque in eodem præminet Augustinus, qui est supremum ingeniorum culmen, sicut præminent in litterali Hieronymus, Ambrosius in allegorico, atque in tropologico, seu morali Gregorius Magnus; quæ est communis, & vera existimatio circa quatuor istos Sanctos Doctores Ecclesiæ, quatenus agunt interpretem scripturæ directè, & ex professo. Istam ego limitationem potissimum adhibeo propter Augustinum, qui, quod attinet ad opera ipsius polemica, & didactica, tantus est in litterali sensu legitime eruendo, luculenter illustrando, atque in omne latus efficacissimè, & acutissimè versando, vt nemini eatenus sit secundus, sed neque compar. Propter prænotatam subordinationem continuam vnius sensus ad alium, omniumque reductionem ad vnum primum, ac simplicem, nulla sequitur confusio aut dictionis fallacia ex multiplicitate sensuum scripturæ in iisdem locis, ac verbis, sicut sequi solet ex vocibus æquiuocis, & propositionibus multiplicibus, æquè primò respicientibus diuersa, ex quibus propterea nulla sequitur argumentatio. Eadem ratione idem vitatur inconueniens, tamen in eodem scripturæ loco admittantur plures sensus litterales, qui quicumque illos admittunt, censent dari inter ipsos modum nuper explicatum subordinationis, & reductionis ad vnum primum, ac simplicem, nec admittendam aliter esse eiusmodi multiplicitem significationum, quia non aliter vitari potest præinsinuatam inconueniens, vt supponit Diuus Thomas in dicto artic. 10. ad 1. vsus hac eadem ratione, quæ vniuersaliter concludit eadem vi, vt patet, circa quamlibet cuiusvis generis multiplicitem sensuum.

Articulo 36. An autem dentur de facto plures sensus litterales in aliquo, vel aliquibus locis scripturæ? controuersia est grauis. Respondendum autem videtur affirmatiuè cum D. Thoma in eodem articulo. Cogit enim ad hoc auctoritas potissimum Augustini & sæpè, & clarissimè, & valde asseneranter affirmantis multiplicitem sensuum litteralium in eisdem scripturæ locis, vt videre est lib. 3. de doctr. Christi. cap. 27. lib. 11. de ciuit. cap. 11. toto ferè libro 12. Confess. maxime cap. 27. & 31. in quo postremo loco, cum præmississet triplicem interpretationem illius loci Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram*; nempe in principio, idest, 1. in Filio, seu in æterna sua sapientia, 2. in initio temporis, 3. ante omne aliud opus; subiungit: *Cum alius dixerit, hoc sensu Moyses, quod ego, & alius, imò illud, quod ego*.

Religiosus

Prooemium.

Religiosus me arbitror dicere; cur non utrumque potius, si utrumque verum est, & si quid tertium, si quid quartum, & si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt; cur non omnia illa vidisse credatur is, per quem unus Deus, vera, & diversa visuris, sacras litteras multorum sensibus temperavit? Plures alios Sanctos Patres, & quamplures Theologos, ac interpretes exhibent pro hac sententia, cui & subscribunt, Vasquez disputatione 17. capite 2. & Fasolus articulo 10. dubitation. 7. contra Michaellem Medinam, qui libro 6. de recta in Deum sole, capite 25. post Alensem, Albertum, & Henricum tenet oppositam. Confirmatur communis opinio paritate ex Vasquez: Sensus spiritualis eiusdem prorsus generis, ac rationis potest esse, & nonnunquam est multiplex in eodem scripturae loco, & secundum eandem prorsus lectionem ipsius. Ergo & litteralis. Antecedens nemo negat, & est clarum pro eo exemplum in manna, quod 1. ad Corinthios 10. accipitur ut significans Eucharistiam, & 16. Sapientiae, ut significans eloquium Dei. Ratio paritatis est, quia auctor utriusque sensus est idem ipse Deus plura, imo infinita significabilia vno suo conceptu indiuisum complectens, neque voces sunt minus idoneae ad plura simul significanda immediate, quam res significatae per voces. Cuius rei argumento est frequens apud Sanctos Patres aliofque expositores dissidium circa sensum litteralem quamplurimum locorum Scripturae, aliis, atque aliis ad alia, atque alia obiecta referentibus eandem voces eodem prorsus modo, quo idem accidit circa expositionem sensus spiritualis. Id quod euenire minimè posset, nisi esset tanta, certè si non esset assimilis earundem & vocum, & rerum aptitudo ad plura, ac inuicem diuersa simul significanda.

Artic. 37. Licet autem negari minimè possit hoc praecipuum discrimen inter loquutionem per voces, & per res vocibus praesignificatas, quod loquutio per res sit supernaturalis, & propria solius Dei, uti obseruatum superius fuit articulo 32. fine, ac proinde sponte sua appareat audienti accipienda, atque intelligenda esse diuinum in modum, & consequenter cum fecunditate, & extensione respectu omnium, & singulorum congruenter significabilium absolute per rem assumptam ad significandum, iuxta infinitam capacitatem intellectus diuini simul omnia complectentis vnico conceptu; loquutio verò per voces, earundemque immediata significatio sit naturalis, atque communis Deo cum hominibus, ac proinde intelligenda eatenus videri posset humanum praecise in modum, id est perinde omnino atque si esset loquutio propria hominis, inter homines verò propositiones multiplices, seu aequiuocae astantur nugatoriae, ac vitiosae, qualis nulla loquutio diuina esse potest. Licet, inquam, hæc ita habeant, atque hinc praecipue, ideoque non leuiter argumentetur pro se Medina, reflexione nihilominus cuius obuia facillè conicitur easdem voces à Deo, & ab homine vsurpatis diuersimodè accipiendas, ac intelligendas esse, quatenus intellectus humanus naturaliter intentus tantum ad vnum per vnumquemque suum conceptum, nonnisi idem illud vnum significare potest per vnamquamque loquutionem, tametsi voces quantum est ex se sint idoneae ad plura simul, & vtrumlibet ex pluribus significandum; intellectus verò diuinus propter

oppositam conceptus sui amplitudinem potest per easdem voces plura simul significare partim ab homine, siue eodem, siue alio, atque alio percipienda, atque id de facto praestat quoties opportunum est ex natura rerum significabilium, & ex idoneitate vocum, quibus illa subsunt. Quæ duo quia admodum rarenter coniuncta inuicem reperiuntur, praesertim cum ea simul coordinatione vnus sensus ad alium, quam necessariam omnino esse articulo 35. praenotatum à nobis est, & obseruat etiam Vasquez vbi supra cap. 3. propterea sunt paucissimi scripturae loci multiplici sensu litterali praediti, iique minimè pertinentes ad dogmata fidei necessaria, uti praemonet sapienter idem Vasquez ibidem capite 4. & demonstrat tota proxime sequenti disputat. 18.

An solus sensus litteralis sit utilis ad arguendum?

ART. 38. Tempus iam est, ut ad id accedamus, ad quod doctrina de sensibus scripturae dirigitur, nempe ad vsum argumentationis Theologicae. Communis non tam opinio, quam quasi dignitas est, ex sensu litterali posse, ex spirituali, seu mystico, ac symbolico, cuiuscumque generis sit, non posse trahi argumentum Theologicum firmum; & quod reddat omnino certam propositionem illatam. Ita docet D. Thomas articulo 10. ad 4. expressè affirmans, *ex solo sensu litterali trahi posse argumentum*, & vtitur auctoritate Augustini exclamantis fidenter contra Vincentium Donatistam epist. 48. propè med. *Quis autem non impudentissime nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpellare, nisi habeat, & manifestissima testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?* Idem distinctissime tradiderat prius Dionysius Epistola 9. ad Titum inter principium, & medium dicens: *Hoc etiam praeterea intelligendum est, duplicem esse Theologorum traditionem, alteram quidem occultam, & mysticam; alteram planam, & notioem, & illam quidem signis contineri, atque perficiendi vim habere, hanc sapientia studiosam esse, & demonstrandi habere vim.* Vnde inualuit apud omnes axioma: *Theologia symbolica non est argumentatiua.* Cui & Hieronymus suffragatur in cap. 13. Math. dicens: *Nunquam parabola, & dubia enigmatum intellecta possunt ad auctoritatem dogmatum proficere.* Vbi quod dicitur *dubia enigmatum*, nullatenus accipi debet tanquam discretium à certis enigmatum, ut contendunt Vasquez, & Valentia, sed tanquam conditio, & praedicatum vniuersaliter conuertibile cum enigmati. Alioquin & in parabolis, quas vniuersaliter excludit, distinguere pariter debuisset dubia ipsarum à certis, & praeterea nullum constitui sset discriminem, quod tamen intendit maximè, inter sensum spiritualem, & litteralem, seu historicum; cum nec dubia litteralium documentorum ad auctoritatem dogmatum proficiant.

Artic. 39. Rectè nihilominus, sapienterque monent iidem auctores, praefatam doctrinam vniuersalem aliquà indigere expositione, atque limitatione. Certum namque est, sensum spiritualem, & litteralem, vbicumque aequaliter innotescent, aequaliter valere ad arguendum; & vbi aequaliter non innotescent, aequaliter non valere. Quia auctor utriusque sensus est idem ipse infallibilis

Proœmium.

bilis Deus æqualiter intendens vtrumque quoad interpositionem suæ auctoritatis. Vnde D. Thom. quodlibeto 7. quæstione 6. articulo 14. ad 4. monet optimè : *Non est propter defectum auctoritatis, quod ex sensu spirituali non potest trahi efficax argumentum.* Certum rursus est, non in omni loco scripturæ, aut innoscere clarè, ac indubitanter sensum litteralem, aut spiritualemente obicere, & sub dubio. De frequenti incertitudine sensus litteralis constat ex frequenti circa illum dissidio S. S. PP. aliorumque expositorum. Constat similiter de certitudine nonnunquam sensus spiritualis, quatenus illum quoad aliquos locos exponit determinatè facit aliquis scriptor, cuius rei superius exhibitæ sunt nonnulla exempla, eademque ratio est, si similis expositio, ac determinatio habeatur, seu directè, seu indirectè ex sensu vniuersali Ecclesiæ, aut ex definitione Pontificia, vel Concilij vniuersalis. Certum igitur tertio est, non semper, & in omni scripturæ loco posse sumi argumentum efficax ex sensu litterali; & aliquando posse sumi ex spirituali. Certum quarto est, sensum litteralem ex natura rei, atque vt plurimum esse certò manifestum, & indubitatum, atque adeo idoneum ad arguendum efficaciter, ac certitudinaliter; sensum vero spiritualemente ex natura rei, & quantum est ex se præcisè, esse vniuersaliter incertum, ac proinde stabilis dogmatis insufficiens. Rationem huius inter istos duos sensus differentia reddit optimè D. Thom. loco nuper indicato; quia nimirum sensus litteralis est, quem reddunt voces iuxta naturalem hominum impositionem. Homines autem imposuerunt vocibus, præsertim quatenus inuicem coniungibilibus ad enuncium, significationem determinatam, & quoad fieri potuit, restrictam ad vnum. Nec enim aliter poterant expedire, & commodè suos sibi mutuo communicare conceptus, vt potè similiter restrictos ad vnum. Vnde multiplicitas sensus litteralis, & ambiguitas, atque controuersia circa eundem sunt per accidens, & præter intentionem eorum, qui iecerunt fundamentum illius, vnicitas vero, & euidencia claritatis sunt e contra per se, ideoque & inunt vt plurimum. At sensus spiritualis fundatur in inadæquata similitudine, seu aliquali affinitate inter rem significatam, & significatam, vt dictum est supra. Eiusmodi autem similitudo, & affinitas inest vnicuique rei respectu plurium aliarum valde inter se diuersarum, & respectu vnius rei inest penes aliquod prædicatum, & non penes aliud, & respectu alterius rei e conuerso penes hoc, & non penes illud. Exemplo est inter alia leo, qui habet eiusmodi similitudinem, & cum CHRISTO IESU, & cum diabolo, ideoque diabolus dicitur Leo 1. Petri 5. 8. nec non Christus Dominus Apoc. 5. 5. *Ece vicit Leo de tribu Iuda*, ac propterea ad neutrum traduci certò potest tale, vel tale determinatum prædicatum proprium Leonis.

Artic. 40. Itaque sensus litteralis inferuit præcipuè, ac ferè vnicè argumentis Theologicis certitudinaliter concludentibus, sensus vero spiritualis non nisi quando determinationi eius, ac certitudini ipsius determinationis suffragabitur adinicalum extrinsecum ad id sufficiens, nempe vbi aderunt manifestissima testimonia, quorum lumine illustrentur obscura, vt dicebat superius Augustinus, ac deinde expositum à nobis fuit. Caterum vbi idem sensus spiritualis probabiliter tantum apparet ex indicis minime contemnendis, & ma-

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

ximè ex auctoritate Patrum, proderit ad argumentum probabiliter concludens, probabilitate, quæ ex genere suo superet omnem aliam vnde cumque quæsitam probabilitatem, idemque dicitur de sensu litterali probabiliter tantum attributo alicui loco. Eiusdem nimirum rationis esse videtur, vt sensus scripturæ manifestus inducat certitudinem maiorem, quàm sit certitudo euidencia cuiusvis naturalis, vt ex alibi dictis suppositum supra fuit, vtque sensus probabilis inducat ex genere suo, seu ceteris paribus probabilitatem, & adhesionem animi maiorem quacumque alterius rationis probabilitate, & adhesionem.

Art. 41. Quæ dicta sunt de sensu spirituali, pertinent etiam eodem ferè modo ad sensum quoque litteralem metaphoricum. Quia sensus metaphoricus fundatur similiter in similitudine, & affinitate rei propriè, ac primitus significatæ cum re alia, ad quam deinde immediate significandam allicitur de nouo eadem vox. Sed præterquam obiectum, seu terminus sensus spiritualis significatur per voces mediatè tantum, vt dictum est, immediatè vero obiectum, seu terminus sensus metaphorici; hoc inuiper speciale, & proprium est eiusdem sensus metaphorici; vt sit naturalis, & iuxta impositionem, & placitum hominum, ideoque est sæpe certò, ac manifestè notum in quam rem cadat, & quovisque significando pertingat, atque eatenus facit fidem certam, & valet ad arguendum perinde atque sensus litteralis proprius prorsus indubitatus. Id circa hæc omnia optimè obleruat ex Augustino D. Tho. art. 9. ad 2. & art. 10. ad 1. & in præmemorato art. 14. quodlib. 7. ad 3. quæ pertinent ad dogmata necessaria fidei, ita in quibusdam scripturæ locis sub sensu spirituali, aut metaphorico inuolui obscurè, vs tamen eadem omnia in alijs locis distinctè, ac dilucidè tradantur in sensu litterali proprio. Atque totidem dicta sint de primo, eodemque fecundiori loco Theologico.

De secundo loco, nempe de traditionum vsu in argumentando nil necesse est seorsim superaddere, quia ex præmissa superius expositione circa qualitatem ipsarum, liquidò apparet eundem esse earum vsu cum verbo Dei scripto secundum ipsius litteralem sensum proprium prorsus indubitatum. Sed neque de tertio, & quarto loco ab auctoritate summorum Pontificum, & Conciliorum Generalium multa nos oportet in præsentia disserere. Supposito enim, quod non est huius loci, vt discutatur, & de quo controuersia agunt ex professo, ac præsertim Bellar. tom. 1. Contr. 1. toto lib. 3. Pontificias, & Conciliares definitiones, seu propositiones dogmatum, ac mysteriorum fidei esse infallibiles non minus, quàm quæ in libris Canonicis distinctè, & clarè traduntur, manifestum est illas, perinde, atque hæc habere rationem principij Theologici ad consiciendas firmas, certissimæque argumentationes.

Auctoritas S. S. Patrum.

Art. 42. Circa quintum locum ex auctoritate Patrum Ecclesiæ, meritò plauditur ab omnibus Hieronym. dicenti in epistol. ad Theophylum aduersus errores Ioannis Hierosolymitani, post med. *Scio me aliter habere Apostolos, aliter reliquos tractatores, illos semper vera dicere, istos in quibusdam, vt homines aberrare.* Vnde auctoritas alicuius, vel etiam aliquorum Sanctorum Patrum, necnon Do-

Proœmium.

ctorum Ecclesiæ argumentum efficit magni quidem ponderis, & singulari veneratione, ac reuerentia suspiciendum, intra tamen limites solius probabilitatis, & cui secundum se præcisè considerato absque temeritate contradicatur, si nil nimirum aliud obstat positivè, aut negativè. Istud documentum tradit, multumque commendat Augustinus epist. 7. ad Marcellinum, & epist. 19. ad Hieronymum, aliisque locis relatis à Durando sub finem prologi, ubi graviter reprehendit nonnullorum excessum in contrarium, quem etiam reprobatur, sed minus de more D. Thomas art. 8. ad 2. Cæterum quando vnanimis omnium, vel ferè omnium Ecclesiæ Patrum consensus in vnam aliquam sententiam, tanquam vniuersi cuiusque eorum propriam, & simpliciter tantum asserendo incumbit in materia religionis, & morum, temerarium planè est, non tamen erroneum, & multò minus hæreticum illi dissentiri, vt tradit cum alius Falolus in dicto art. 8. dubitat. 10. num. 27. Quia videlicet sunt homines, ideoque absolute possibile, tum vt fallantur, tum etiam vt fallere, fortasse velint; sed sunt homines tales, ac tanti vt verum sit moraliter impossibile respectu omnium, aut ferè, quia ultra eximiam profunditatem, & acuti ingenij magnitudinem, eruditionem in omni genere locupletem, assiduam, ac intensissimam mysteriorum diuinorum, & sacrorum voluminum meditationem, sincerissimum veritatis amorem, mentem à passionum tumultu, ac nebulis purgatissimam, intimam, & humillimè supplicem communicationem cum Deo, fuerunt ab ipso Deo specialiter, affluenterque illuminati, vt potè ab eodem destinati Magistri, & Doctores omnium vbique fidelium, & vt tales agnoscendi ab Ecclesia omniæuo. Quia vero ij laudum tituli præminent, vel maxime in Magno Dionysio Areopagita, & præterea capacissimam naturaliter mentem ipsius expleuit ad summum usque fontali diuina luce familiaritas cum Apostolis, & Apostolicis viris, & præsertim cum Apostolo Paulo, cuius fuit charissimus, & addictissimus discipulus; propterea tanti ab omnibus semper est habitus, vt nemo audeat vlla in re illi apertè contradicere, & nefas merito reputetur, si contradicatur. Accenset Dionysio Falolus vbi supra dubitat. 9. sine, Gregorium Nazianzenum, & Athanasium, tanquam suppres, eiusdemque classis, innixus D. Thom. 1. p. q. 61. art. 3. corp. sine, vbi dicit de Nazianz. *Cuius tanta est in doctrina Christiana auctoritas, vt nullus unquam eius dictis calumniam inferre præsumpserit, sicut nec Athanasij documentis, vt Hieronymus dicit.* Sed aduertere debuisset eundem nihilominus D. Thom. eodem in loco contradicere Nazianzeno apertè, & ex professo. Nec dubitandum videtur, quin Dionysius sit & Nazianzeno, & Athanasio longè superior, imò & Augustinus mea quidem sententia, eaque minimè singulari præferendus utriusque, proculdubio videtur, vt potè communiter reputatus tanquam aquila inter doctores Ecclesiæ post Dionysium, & summis Summorum Pontificum, Conciliorumque, & omnium sapientum approbationibus, acclamationibus, encomiis superexaltatus.

Art. 43. Sed redeundum est ad communem consensum PP. & dicendum, quando is suffragatur determinato sensui, ac intelligentiæ alicuius loci scripturæ, talem sensum, ac intelligentiam esse de fide, ac proinde sufficere ad argumentum de-

monstrationis Theologiæ, vel quia id est indicium manifestum traditionis eatenus Apostolicæ, seu expositionis ab Apostolis edoctæ, & inde continua magisterij serie ad posteros derivatæ, vel certe quia Ecclesiæ ita sentire videtur, ac definiuit, vt apparet ex synodo Trull. can. 29. ex Conc. Later. 3. in 1. decreto Leonis de modo prædicandi, & ex Trident. sess. 4. in decreto de editione. De quibus testimoniis, deque re ista videri inter alios possunt Salmeron. tom. 8. tract. 2. loco 3. & Gill. lib. 1. tract. 7. cap. 13. Quando verò iidem PP. nullo testimonio scripturæ innixi conspirant in aliquam sententiam, tanquam in aliquid pertinsens ad religionem, & dogmata fidei, constituunt quidem illam proxime ab Ecclesiâ definibilem, vt patet inter alia ex Clementina vnica de summa Trinit. §. 1. vbi Clemens V. sic affatur: *Nos ad Sanctorum PP. & Doctorum communem sententiam Apostolica considerationis aciem conuertentes, sacro approbante Concilio declaramus, &c.* Non dum tamen inducunt supremam certitudinem fidei, quousque accedat approbatio, & definitio Ecclesiæ. Quia esto auctoritas consentientium Ecclesiæ Patrum sit maxima inter purè humanas, est nihilominus purè humana, ideoque, quantum est ex se præcisè, absolute fallibilis, vt docet August. de pecc. mer. & remiss. cap. 7. vbi præmemorato omnium, quos legisset, doctorum Ecclesiasticorum consensu, atque specialiter inductis Cypriano, & Hieronymo, subdit: *Hæc non ideo commemoravi, quod disputatorum quorumlibet sententiis tanquam canonica auctoritate nitamur, sed vt appareat, &c.* Nec ad traditionem Apostolicam recurri potest, quasi de ista constaret eo ipso certò, ac manifestè, veluti nuper circa intelligentiam scripturæ insinuatum est. Quia quoad interpretationem, ac intelligentiam scripturæ, PP. & Ecclesiastici doctores sunt traditionis Apostolicæ custodes priuatim respectu plebis, seu minorum fidelium, ad quos non spectat interpretatio scripturæ; at cæterorum documentorum quæ non scripto, sed ab Apostolis oretenus tradita fuere, omnes promiscuè fideles sunt custodes, ac depositarij, tametsi eorum etiam custodia, ac propagatio ad Pastores, & doctores præcipuè pertineat.

Art. 44. Porro quæ dicta hic sunt de sanctis Patribus, eadem subintelligenda sunt proportionè seruata de Theologis quoque, & de cæteris sacrorum voluminum interpretibus, necnon de Canonistis, cum & ij sint doctores, & Magistri reliquorum fidelium, atque sui ipsorum, vel mutuo, vel non mutuo, eo, vel maxime quia quæ docent, accipiunt communiter à SS. PP. Quæ præcipuè de causa adiunxi particulam, *proportionè seruata*, quia nimirum SS. PP. sunt Magistri Magistrorum, & reliqui scriptores Ecclesiastici, si quidem sint aliqua approbatione digni, sunt ipsorum discipuli. Accedit inter reliquos scriptores reperiri non paucos, quorum auctoritas nullius, aut perexigui momenti sit, cum minimus SS. Patrum sit magnæ semper, & ponderosæ auctoritatis. Quia Sanctus Pater Ecclesiæ, est nomen Electorum, & optimatum in doctrina Sacra. Vnde proportio illa à me requisita non tenet vniuersaliter quoad singulos eos auctores seorsim consideratos; tenet vero quoad eorum omnium, vel fessè omnium communem consensum. Quia comprehenduntur in qualibet illorum classi viri verè magni, atque insigniter participes earum laudum, quæ circa SS. PP. consideratæ sunt, & in classe præsertim

Proœmium.

præsertim Theologorum, clauduntur duo Sancti Doctores Ecclesiæ D. Thomas, & D. Bonaventura, de quorum auctoritate nil opus est dicere, cum sit luce meridiana clarius, ac fulgentior. Et sanè D. Thomam, ut supremum inter Theologos scholasticos, atque inter Sanctos Patres minimè postremum, imò primis Dionysio, & Augustino longè propinquiorem, quam postremis, aut mediis, præcipua temper reuerentia, ac studio ego prosequor, & etiam sequor ferè semper, iuxta institutioni nostræ rationem, & mandatum Sancti Parentis part. 4. constitut. capit. 14. ubi perinde Doctorem Angelicum in Theologicis, atque Aristotelem in philosophicis obseruandum proponit, ac præponit.

Communis fidelium sensus.

ARt. 45. Venio ad sextum locum ex communi fidelium sensu, qui videri fortè alicui posset nil reipà differre à præcedentibus locis, & sanè nihil materialiter differt, ac differt plurimum formaliter. Non differt materialiter, quia nil ad religionem pertinens omnes ubique fideles vnanimi consensu tenent, sed neque tenere possunt quod non sit derivatum ad ipsos, vel ex sacra scriptura, vel ex traditione Apostolica, vel ex Summis Pontificibus, atque Conciliis, vel ex Doctoribus Ecclesiasticis, & quatenus ab aliquo ex iis fonte derivatum primitus est. Differt verò formaliter, quia quindocunque constiterit ab omnibus ubique fidelibus teneri aliquid vnanimi consensu tanquam pertinens ad religionem, aut mores, eo ipso id erit certum certitudine fidei catholicæ, & sufficiens ad argumentum demonstrationis Theologicæ, tametsi non constet de vlllo alio ex prædictis testimonio, & licet constet de aliquo eiusmodi testimonio, consensus nihilominus vniuersalis fidelium ex se præcise superaddit novum certitudinis infallibilis titulum. Quia Ecclesia Catholica, quæ est congregatio fidelium sub vno capite Christo, & eius Vicario Romano Pontifice, habet sibi deuiactam specialem assistentiam Spiritus Sancti, ut nec falli, nec fallere vnquam possit. Quod patet, inter alia, ex illis Apostoli, verbis 1. ad Thimoth. 3. 15. *Quæ est Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis.* Vnde Augustinus libro primo, contra Cresconium capit. 33. agens de non iterando baptismo collato ab hæretico. Proinde, ait, *quamvis huius rei certè de scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen scripturarum etiam in hac re tenetur veritas, cum hoc facimus, quod vniuersa iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas.*

Usus veritatis naturaliter notæ in Theologia.

ARt. 46. Postremus locus ex veritate naturaliter nota complectitur duo, auctoritatem Philosophorum, aliorumque auctorum scribentium ex solo ductu rationis naturalis; & ipsam rationem naturalem. Neutrum horum esse alienum à Theologica argumentatione constat ex Apostoli exemplo, & testimonio. Exemplum adest Actorum 17. 28. ubi sic vtitur testimonio Arati *sicut & quidam vestrorum poetarum dixerunt: Ipsius*

enim & genus sumus. Genus ergo cum sumus Dei, non debemus assequi auro, &c. Testimonium est illud ad Corinth. 2. 10. 5. *Et in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Debet igitur ratio naturalis ita obsequi fidei Christi, sicut seruus captiuus obsequitur Domino suo, ita scilicet ut nil aggrediatur contrarium fidei, & omnia præbet, quæ congruunt eidem, fauenteque. Argumentum ex eiusmodi auctoritatibus non transcendit limites probabilitatis, & à Diu. Thoma artic. 8. ad 2. meritò vocatur extraneum respectu Theologi, quæ Theologus est: Sed tantus, & talium eiusmodi auctorum potest esse consensus in aliquam sententiam, ut eam reddat moraliter certam. De vlu rationis naturalis in Theologia dictum est superius ab art. 4. Adde pro maiori claritate rationem naturalem dupliciter posse cooperari, & obsequi fidei, nempe positivè, & negativè. Et quidem positivè rursus dupliciter. Primò adiungendo vni præmissæ fidei aliam naturaliter notam, vel ad eruendam vltiorem aliquam veritatem nullibi reuelatam in propriis terminis, de quo dictum est in prædicto loco: vel ad vltiorem confirmationem, ac illustrationem veritatis alicubi reuelatæ in propriis terminis. Secundò adhibendo ambas Præmissas purè naturales, vel evidentes, vel probabiles, prout res tulerit, ut sic veritas reuelata facilius, ac delectabilius credatur, apprehendatur distinctius, atque animo adhaereat tenacius. Obsequium negativum, quod consistit in refellendis rationibus, & fallacis contradicentibus fidei, est itidem duplex, quatenus eiusmodi rationes refelli possunt, tum ostendendo euidenter eas esse falsas, tum ostendendo euidenter easdem non concludere euidenter. Primum de ostensione falsitatis præstari non potest nisi respectu veritatum ita reuelatarum diuinitus, ut simul sint naturaliter cognoscibiles euidenter, ut existere Deum, dari in eo prouidentiam rerum omnium, animam rationalem esse immortalem, bona, & mala opera esse digna pœna, & præmio, & similia. Quia sola ratio demonstrans aliquam veritatem potest positivè demonstrare falsitatem contradictorij. Secundum de exclusione euidentiar præstari potest, per se loquendo, in qualibet materia vtrunque inaccessa rationi naturali, quale est mysterium Trinitatis diuinæ, incarnationis Verbi diuini, Sacramenti Eucharistiæ, peccati originalis, & similia. Quia fides nulli veritati naturaliter notæ contradicit, cum veritas contraria esse non possit, & præterea est euidentissimum in genere, nulli falsitati suffragari posse rationem aliquam euidentem, idest, nullam falsitatem posse esse euidenter veram. Quæ est optima Diui Thomæ ratio art. 8. c. fine.

Argumentum à pari infidum præsertim Theologo.

ARt. 47. De modis arguendi, quibus ratio naturalis vtitur in materia theologica, non expedit hic specialiter differere, quia totum id dependet ex documentis vniuersalibus logicæ. Libet solum, & fortè proderit nonnil, monitumculam præferre circa argumentum à pari, quo vtitur aliqui moderni auctores nimium confidenter,

Proœmium.

adeoque abutuntur, idque persape, & non solum pro rebus naturalibus, atque in materia morali, verum etiam pro ministeriis supernaturalibus, ac propriè theologicis, qua Theologia est maximè speculatiua, & abstractissima à materia, & qua Deum quoque ipsum immediatè considerat. Notum est argumentum à pari ex se præcisè nil vnquam euidenter concludere, & plerumque ne ad probabilitatem quidem consequentis sufficere, sed inducere solam suspensionem veritatis in illo, & facilitatem quandam, ac pronitatem assentiendi. Quia argumentum à pari non nititur connectione, aut repugnantia subiecti, & prædicati consequentis cum aliquo tertio, sed prædicatum antecedentis transfert ad subiectum consequentis eodem modo, quo positum fuerat in antecedenti, propter solam similitudinem, & vniformem comparisonem subiectorum vtriusque propositionis quoad illud prædicatum; & ne argumentum non sit à pari, sed ab eodem ad idem, id est, vt non sit manifestè ineptum, oportet subiectum consequentis esse diuersæ speciei à subiecto antecedentis. Vnde ad cognoscendam, & manifestandam vim huiusmodi argumenti necesse est, vt arguens intus, & adæquatè calleat, ac exprimat rationes vltimas differentiales vtriusque extremi. Si enim imperfectè, ac inadæquatè illæ innotescant, necesse profectò erit, vt argumentum vacillet sub dubio, an ratio differentialis specifica vtriusvis extremi, qua parte adhuc delitescit, contineat in se rationem discriminis quoad prædicatum, quo de agitur, tanquam vniformi prorsus ratione indiuiduo ab vtroque extremo, & consequenter quo plus, minùve innotescant ambæ illæ rationes differentiales specificæ, eò vis argumenti erit maior, vel minor: erit verò nulla, quandocumque alterutra ex illis differentia erit prorsus ignota quoad habitudinem respectu prædicati controuersi. Quotus autem quisque est, qui rationes differentiales rerum perfectè, & adæquatè possideat, & qui eadem non plus ignoret, quàm sciat? Admodum igitur rarerer argumentum à pari efficax, & concludens esse potest, & plerumque est, quale à nobis dictum est esse. Idem tamen in disputatione contentiosa est ordinariè permolestum respondententi, eundemque irretit inexplicabiliter, si nolit esse contentus responsione purè negatiua, dicendo nondum satis apparere rationem paritatis, seu connectionis vtrobiq; vniformis cum prædicato controuerso, sed velit insuper ostendere positivè, adesse rationem discriminis, seu esse disparem habitudinem vtriusque subiecti respectu prædicati prætensi vtriusque communis. Ad hoc nimirum secundum exactè præstandum requiritur, vt per se patet, illa ipsa inspectio, ac penetratio profunda rationum differentialium vtriusque subiecti, quam diximus necessariam ad vim, & efficaciam huiusmodi argumentorum, & quam eandem perraro quisquam assequitur. Eadem igitur de causa argumentum à pari plerumque est & inefficax ad persuadendum, & permolestum respondententi præsertim glorioso, nempe ob defectum perfectæ cognitionis rationum vtrobiq; differentialium. Necesse itaque est ad efficaciam, & vim concludentem paritatis, vt illi superaddatur ratio vltior efficax communis antecedenti, & consequenti. Quæ ipsa vltior ratio, cum adiuncta fuerit, reddet inutilem, certè minimè necessariam paritatem, quia cum communis esse de-

beat antecedenti, & consequenti, perinde accomodari poterit, & cum eadem vi soli consequenti, secluso antecedenti.

Artic. 48. Quod si hæc omnia ita se habent vniversaliter, & in omni materia circa prædictum argumenti genus, ac proinde quando etiam ducitur paritas ab ente materiali ad materiale, à naturali ad naturale, à creato ad creatum; quid par est credere ac dicere quod paritas instituitur inter rem materiale, & spirituale, naturalem, & supernaturalem, creaturam, & creatorem? Profecto in tanta extremorum comparisonis distantia, & in tanta humanæ mentis ignorantia circa rationem differentialem vltimam eorum terminorum ad quem, maximè circa Deum, facillimè delitescit ratio discriminis, qua euascat argumentum. Valde igitur alienum est à Theologo, vt assuescat argumento à pari, eique fidat secundum se præcisè considerato, idemque est valde insuper perniciosum, dum agitur immediatè de Deo, vt perspicere potest, vitra dictum præmissum ex verbis Diui Athanasij in Epistola de decretis Synodi Nicænæ ante medium. *Tametsi, ait, eadem dictiones de Deo, & hominibus in sacris scripturis habeantur, hominum tamen perspicacium est, vt Paulus primò ad Timotheum præcipit, lectionem attendere, vt rem cum iudicio discernant, & pro natura rerum vocabula accipiant sine intellectus confusione, ne que Dei sunt, humano more intelligant. Id enim est vinum aqua miscere, & alienum ignem altari inferre. Propius, atque omnino immediatè ad scopum nostrum pertinet acris præmonitio Diui Gregorij Nazianzeni oration. 5. de Theologia: Valde, ait, turpe est, nec turpe solum, sed etiam admodum stultum, & inane, ex humilibus ac terrenis rebus superarum simulacrum sumere, quodque Isaias ait, videntia in mortuis querere. Sed significantius multò, & sapè, ac fusè reprobatur Magnus Dionysius paritates ex rebus creatis ad Deum, dum impensè commendat circa Deum Theologiam potissimum negatiuam; per quam remouentur à Deo, quæ insunt creaturis, prout sunt in ipsis, & inducitur non similitudo, quam solam aptum est inducere argumentum à pari, sed dissimilitudo cum creaturis, cumque quoniam modo essendi ipsarum proprio. Audiantur, inter alia permulta, pauca hæc ex capite primo Theologiæ mysticæ, aduersus eos, qui vtebantur paritatibus creaturarum respectu perfectionum diuinarum. *Terrenis, ait, rebus adherescunt, & nil supra ea, quæ sunt, & supra substantiam cogitant, quin potius arbitrantur sua cognitione nosse eum, qui posuit tenebras latibulum suum, & summam causam omnium ex extremis in natura rerum designant, nilque eam antecellere aiunt impiis imaginibus, quas ipsi fingunt.**

Necessitas, & utilitas. Theologiæ.

Artic. 49. De præstantia, necessitate, & utilitate Theologiæ, quæ solæ supersunt explicandæ, quoniam ex huiusque dictis sponte innotescunt, per pauca subiciam. Et quidem præstantia Theologiæ super omnes alias scientias, & habitus intellectuales acquisitos ratione subiecti, de quo agit; materiæ, in qua versatur, & medijs, seu rationis sciendi, quo vtitur; finis ad

Prooemium.

ad quem disponit, redita est manifestissima supra, præsertim articulo 5. ad 9. Circa necessitatem Theologiæ duæ sunt communiter receptæ, & veræ conclusiones. Non esse necessariam singulis quibulque fidelibus salutem. Toti corpori Ecclesiæ, seu vniuersali fidelium congregationi esse omnino necessariam. Non est necessaria singulis, quia per habitum fidei, qui omnibus inest fidelibus, cognoscuntur sufficienter quæcunque sunt ad salutem necessaria, ut dictum est in loco. Est autem necessaria Ecclesiæ. Quia fides, quæ est omnibus, & singulis necessaria, neque propagari, neque conservari potest naturaliter adque subindio Theologiæ. Facile namque occurrunt plures, & graues difficultates aduersus mysteria nostræ fidei, & antè, & post assensum eorum, tum ex debilitate intellectus humani, tum ex malitia plurimorum. Nempe intellectus humanus naturaliter adhærescit sensibilibus obiectis, & ordini rerum naturali, ideoque eleuatur ægerimè ad altissima, & profundissima mysteria nostræ fidei, & inde aduersus hæc enascuntur spontè difficillimæ rationes dubitandi propter maximam inter hæc, & illa distantiam, & propter apparentem quoad plura contrarietatem priora inter, & posteriora obiecta. Vnde nisi adsit qui sciencificè, beneficio doctrinæ supradictæ simplici propositioni mysteriorum, emolliat, ac dissipet eiusmodi difficultates, nec admittitur fides catholica, nec admissa retinebitur connaturaliter, seu sine miraculo speciali, eo, vel maxime quia nunquam defuerunt, nunquam deerunt homines nequam filij tenebrarum, qui per sophismata, & fucatos rationum naturalium colores insidientur puritati, ac sublimitati sanctissimæ legis Dei, & seducere conentur fideles Dei seruos, seducantque de facto, nisi obster illorum conatibus doctorum Theologiæ, & auctoritas, & directio, & legitima circa puncta controuersa expositio. Accedit Ecclesiam Dei sine Episcopis esse non posse. Oportet autem, ut dicit Apostolus ad Titum 1. 7. *Episcopum esse, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradiunt, redarguere.* Quia verò Episcopi non possunt vbique adesse, nec se solis sufficere ad omnes opportunitates scribendi; ac dicendi, quantum sufficit, ut subueniatur necessitati omnium vbique fidelium, tum ut suppetant, ex quibus eligantur Episcopi idonei, necesse utique est, ut Ecclesia Dei abundet pluribus præterea Doctoribus Theologiæ. Neque quoad hoc defuit vnquam, aut deerit prouidentia Dei, ut apparet ex illo ad Ephes. 4. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores, & doctores ad consummationem sanctorum (ad salutem fidelium) in opus ministerij, in edificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, id est, ad finem vsque sæculi, idque prout subiungit ver. 14. ut iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrine in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Quæ est illa eadem ratio, qua modò utebamur in eundem Apostoli scopum.

Art. 50. Nota priorem ex iis duabus conclusionibus negatiuam necessitatis Theologiæ respectu singulorum complecti collectivè omnes modos Theologiæ adquisitæ, recensitos supra art. 1. & 2. Secundum verò affirmatiuam necessitatis respectu

corporis Ecclesiæ, complecti eosdem Theologiæ modos indeterminatè tantum, ac vagè. Id quod apparet clarè ex probationibus adhibitis vtrobi-que. Sufficientia enim habitus fidei ad salutem æqualiter excludit respectu singulorum necessitatem Theologiæ adquisitæ quoad omnes simul modos eius. Quoad necessitatem eiusdem Theologiæ respectu corporis Ecclesiæ, liquidem ostensa est vniuersalis quoad omnia tempora, & loca, atque manifestum est, tum non omni tempore vniuersè eundem Theologiæ tradendæ, atque adducendæ modum, tum Ecclesiam semper optimè quoad doctrinam habuisse, patet quemlibet ex illis modum absolute sufficere. Utilitas eiundem Theologiæ sub eodem sensu, tum respectu singulorum, tum respectu omnium fideliū collectivè est manifesta, ex nuper dictis circa necessitatem, maxime verò ex dictis superius circa naturam Theologiæ, præsertim articulo 5. & 11. Neque de hoc puncto sub iis terminis vlla fuit, aut est controuersia inter catholicos, vel mutos, vel etiam cum hæreticis. Solum de Theologia, prout nunc communiter traditur sub directione Magistri sententiarum, & Dni. Thomæ, dissentiunt nonnulli dicentes eam non modò utilem minimè esse, verum etiam esse valde perniciosam, quibus fuisse, & fortiter occurrit inter alios Valentia punct. 2. Vbi etiam demonstrat ex optimis auctoribus vsum scholarum pro tradenda, ac discenda Theologia semper in Ecclesia Dei vniuersè, tum in veteri, tum maxime in nouo testamento.

Art. 51. Mihi, quo minus in hac re multum immorari velim, tria potissimum efficaciter persuadent. Primum est, quia methodica ista ratio tradendi, ac exponendi mysteria fidei, atque refellendi errores contrarios confert plurimum ad claritatem & conspiciuitatem doctrinæ cum breuitate coniunctam, prout experientia ipsa abundè manifestat, & in hac, & in omnibus aliis scientiis. Experientia, inquam, manifestat legentibus, & conferentibus libros sub eiusmodi lege methodi conscriptos, & alios anteriores ab ea absolutos, atque distinctos magis. Alterum est consensus totius Christianitatis, quæ vbique amplexata est methodicam istam Theologiam, ex quod adnuta ea fuit, eique tradendæ scholas amplissimas, & plurimas maximis expensis fundant, ditant pinguibus professorum stipendiis, atque privilegiis admodum honorificis exornant, nec nisi claros, diuque in eadem versatos adhibet ad dogmata fidei, omniaque ad religionem pertinentia, vel stabilienda, vel exponenda, vel propugnanda aduersus hæreticos, aliosque infideles. Postremum est, quia aduersus istiusmodi theologiam, quæ omnibus piis, & doctis per placet, soli obloquantur idiotæ, & hæretici, atque hæreticarum partium homines, quorum primos constat tanti esse facientes, quanti cæcos indicantes de coloribus; posteriores verò, quanti phreneticos, & medico, & medicinæ validissimè oblectantes. Vnde in vtroque rectè cadunt verba Augustini. lib. 3. de peccat. merit. & remissione c. 6. *Quia non tales homines erant, de quorum esset auctoritate sollicitus, facile hoc in transactis, atque abolitis habui.*

Art. 52. Agnoscimus planè, multumque dolemus plures à pluribus committi defectus in tractatibus theologicis, tum excessu curiositatis volentium sapere plusquam oportet sapere; tum vanitate intermiscendi quæstiones ineptas, ac insulas,

Prooemium.

fas, quæ nil ne mediâ quidem conferant ad dignam de Deo, rebusque diuinis æstimationem concipiendam, ac proinde neque ad amorem Dei, & proximi confouendum; tum cassis, ac prorsus inanibus saluberrimarum conclusionum probationibus, quæ, vt aduertit alicubi Diu. Thomas in quæstionib. disputat. sapè nocent veritati multò plus, quàm validissimæ in speciem manifestorum eius hostium impugnationes; tum superciliosa, ac ampulosa nouitate, cui qui additi sunt, hæc vnicè student, vt antiqua, & solida probatissimorum auctorum documenta, quæ illustrare, ac promouere oporteret, non solum facile deferant absque vlla cogenti ratione, sed etiam quætere, ac demoliri, & certissima quæque incerta reddere enixè conentur, vtque illorum vice dissõna figmenta sua intrudant. Verùm hæc, & alia similia quamplura non Theologiæ, & Theologorum sunt vitia, sed pseudotheologiæ, & Theologastromæ, vt apparuit supra art. 3. & 5. In omnibus porro scientiis, facultatibus,

artibus, & præsertim in præstantissimis cuiusque generis, ac maximè arduis, qualis vtique Theologia est, plures semper erunt defectuosi, quàm perfecti professores, & quia posteriores prioribus quoque non permissis minimè prouenerent, plusque commodi redundat ex optimorum exiguo numero, quàm incommodi ex multitudine deteriorum, merito vtique admittuntur in scenam, exemplo Euangelici Patrisfamilias volentis eradicari zizania, ne fortè eradicaretur simul & triticum, proptereaque sumentis vtraque crescere vsque ad messem, & similiter vocantis multos ad cœnam, vt paucos illos electos suos habere, ac retinere sibi posset. Vtinam tenuitati nostræ tritici, & electorum, sortem adindicare aliquo vsque pro tua benignitate possis, optimè Lector, atque labori nostro, qui paruus non fuit, respondeat utilitas tua haud exigua, cuius desiderio multò equidem maiori, quàm spe paruimus iubentibus, vt hæc tibi offerremus, oblaturus & alia si Deo placebit, placebimulque tibi.



R.P. MAR